timetur. Ergo hæc non ſunt prohibita. Et confirmatur, quia matr. non tantum excuſat a culpa coitum, ſed etiam moroſam delectationem, & tactus non relatus ad copulam excuſat a mortali (ut diximus n. 3. & n. 12.) Ergo cum impedimento illi, ſolius copulæ uſus opponatur, ſolus ille reddetur illicitus. Tandem, quia in loco publico conjuges miſceri nefas eſt, nemo tamen damnabit delectationem internam ſenſitivam ibi habitam de copula conjugali cogitata. Quia non adverſatur honeſtati naturali, ratione cujus copula eſt illicita. Unde fit in eo eventu tactus, & delectationem non eſſe mortalia ſecluſo pollutionis periculo; at delectationem eſſe venialem: quia caret debito fine. Tactus autem eſſe veniales, ſi ob delectationem habeantur: licitos autem, ſi ad conciliandum amorem, vitandamve incontinentiam, fiant. Ut de illis diximus num. 3. 5. 8. 10. & 12. quando non adeſt id impedimentum.

22 Hinc infertur, idem aſſerendum eſſe, quoties eſt phyſicum impedimentum ad copulam. Ut ſi impotentia coeundi ſuperveniat matrimonio contracto. Quia eædem rationes militant. Et id probavimus diſp. 17. n. 6.

23 Secunda concluſio. Idem dicendum eſt, quando concubitus eſt interdictus ratione alicujus præcepti Eccleſiæ; ut ſi conjux contraxit affinitatem cognationemve cum altero conjuge, ratione cujus arcetur a debiti petitione: vel ſi uterque ſimiliter eam contraxit. Ratio eſt, quia adhuc impedimentum eſt extrinſecum, & arcens a copula in pœnam delicti admiſſi (ut probavimus diſp. 30. n. 1.) Cum ergo res ſit pœnalis, non eſt extendenda ad delectationem & tactus, ut ſimiliter illa prohibeat.

24 Tertia concluſio. Quoties conjugi interdicitur debiti petitio, eo quod ſit dubius de valore matrimonii, eſt peccatum mortale delectatio partis ſenſitivæ de copula cogitata. Quia matr. eam delectationem cohoneſtans, eſt dubium, ac proinde dubia etiam erit honeſtas illius delectationis. Nec aliunde jus poſſeſſionis præponderat, ſicut nec ad debiti petitionem. Nec licebit etiam prædicta appetitus ſenſitivi delectatio de actu redditionis debiti cogitato, ſub conditione, ſi petatur; ſecus de actu complacentiæ, & gaudii in voluntate. Nam quamvis liceat reddere debitum poſita ea conditione, ſi petatur: at ſicut ea nondum poſita minime licet copula, ita nec delectatio ſenſitiva. Sicut ſoluto fas eſt in voluntate concipere delectationem aut gaudium de acceſſu ad mulierem, ſi eſſet ſua, non tamen in appetitu ſenſitivo. Quia delectatio in hoc conſurgens oritur ex vehementi commotione ſpirituum vitalium ſubſervientium generationi: & proinde eſt quaſi inchoatio coitus præſentis, qui illicitus eſt: cum conditio minime adſit. Deinde, quia actiones appetitus ſenſitivi non feruntur in objecta ſub conditione aliqua, ſed abſolute. Illa enim ſpectant, ut proponuntur ab imaginativa, quæ nequit conditionem apponere, aut præſcindere rationem communem a particulari. Atque ita delectatur appetitus ſenſitivus de illo actu independenter a conditione. Quod bene explicat *Cajet. tom. 1. opuſc. tr. 14 de delect. moroſa dub.* 1. Similiter tactus in his ſunt mortales, niſi habeantur in gratiam alterius conjugis tacite vel expreſſe petentis debitum. Tunc enim ſpectant ad redditionem debiti. Et conſtat ex eadem ratione. Sed objicies. Sicut dubius de matrimonii valore, caret jure juſtitiæ, ad petendum: ita qui contraxit affinitatem aut cognationem cum conjuge: & utrique fas eſt reddere. Ergo vel utrique permiſſa ſunt delectatio illa & tactus: vel neutri. Sed dic, illum privari eo jure ab intrinſeco, & ex natura rei, propter dubium de matrimonii cohoneſtantis actum valore: hunc vero ab extrinſeca Eccleſiæ prohibitione in admiſſi delicti pœnam. Quæ extendenda minime eſt ultra terminos, in quibus loquitur, ut explicuimus n. præc.

25 Quarta concluſio. Mihi eſt multo probabilius contra ſent. n. 20. relatam, quando ratione voti non licet conjugi petere nec reddere, nullo modo eſſe licitam delectationem partis ſenſitivæ, aut tactus, ſed culpam eſſe lethalem adverſus votum. Quando autem ſola debiti petitio interdicitur ratione voti, dicendum etiam eſt, minime licere prædictam delectationem partis ſenſitivæ, etiam de redditione concepta ſub conditione, ſi petatur: ſecus de gaudio, delectatione voluntatis, ſub ea conditione: & ſimiliter non licere tactus niſi ad expreſſam vel tacitam alterius petitionem: ſed omnia hæc eſſe peccata lethalia contra votum. Sicut explicui n. præc. Ducor, quoniam vovens abſolute caſtitatem, tenetur in quantum poteſt, abſtinere ab omnibus illis, quæ caſtitati adverſantur, ſolumque illi permittitur id, ad quod lex juſtitiæ matr. obligat, nempe reddere debitum, quando ſolus ipſe vovit, ſed ſervata lege matr. poteſt abſtinere ab illa delectatione, & a tactibus dum non petuntur. Ergo tenetur. Et confirmatur, quia ſi voviſſet ſe ab ea delectatione, & tactibus abſtenturum, niſi ad alterius conjugis petitionem, tenetur utique: cum votum ſit de re honeſta, & ſibi licita. At vovens abſolute caſtitatem, promittit abſtinentiam ab his, ut bene docet *Vaſq. 1. 2. q. 74. ar. 8. diſp* 112. *n.* 10. Quod inde conſtat, quia hæc adverſantur caſtitati. Et ita ſolutus vovens caſtitatem, ſi delectetur moroſe in re venerea, vel libidinoſos tactus habeat, eſt reus voti. Secundo, quoniam longe diſpar ratio eſt de aliarum rerum delectatione, quæ ex circumſtantia extrinſeca ſint malæ, ut quando actus conjugalis eſt malus ob ſalutis periculum, vel ratione loci publici, aut affinitatis contractæ. Quia illa delectatio vel tactus non opponuntur illi circumſtantiæ extrinſecæ. At hic directe opponuntur voto extrinſeco. Quod obligat ad abſtinendum ab omnibus venereis, & conſequenter ab his. Tandem, quaſi licent his conjugibus ceteri tactus, neſcio cur neoterici illi n. 20. relati id negent de impudicis. Cum ex ſe permiſſi illis ſint ſecluſo pollutionis periculo, & ſolum ratione extrinſeci voti prohibeantur, ſicut & alii tactus. Nec verum eſt reputari idem moraliter cum copula. Nam omnibus conjugibus effectis impotentibus poſt matrimonium, vel affinibus, vel cognatis, vel ubi eſt periculum notabile ſalutis, vel abortus, licent ii tactus: ut probavimus n. 21. 22. & 23. Cum tamen copula ipſa minime liceat.

Ultima concluſio. Si alter vel uterque conjux voviſſet ſolum ſe non petiturum debitum, omnia hæc illi licerent, quia non adverſantur illi voto, quod ſolum interdicit debiti petitionem: & ex alia parte ſunt ex ſua natura illi licita ratione matrimonii. 26

Ad argum. propoſitum n. 19. dic, talem eſſe delectationem, quale eſt objectum ſecundum ſe, & ab intrinſeco: ſecus quando ab extrinſeca circumſtantia malitiam habet, cui circumſtantiæ delectatio non adverſatur. Quod contingit hic, ut explicuimus n. 25. Ad 1. argum. ex propoſitis n. 20. conſtant ex dictis n. 21. 23. & 25. Quia in caſu periculi morbi, aut affinitatis contractæ, delectatio & tactus minime opponuntur circumſtantiæ extrinſecæ, ob quam redditur vitioſa copula conjugalis; ſecus in caſu voti. Ad 2. dic majorem propoſitionem eſſe veram, quando delectatio illa rei malæ ab extrinſeco nullam aliam malitiam haberet, quam redundantem ex ipſa objecti malitia, quod hic non contingit: eſt enim mala propter ſpecialem illius voti extrinſeci obligationem, cui directe adverſatur. 27

## DISPUTATIO XLV.

Utrum conjugibus liceant delectationes moroſæ, tactus, aſpectus, verba turpia, cum pollutionis prævilæ, ſed non intentæ periculo? Et generaliter quando pollutionis periculum efficiat novam culpam mortalem, vel tale, quæ antea mortalis minime erat?

### *SUMMARIUM.*

*Quot ſint quæſtiones diſputandæ, num.* 1.

*Pollutio, & diſtillatio qualiter differant, & in quo illa cognoſcetur. Et remiſſive, cur nunquam liceat procurare ſeminis expulſionem. Et quid, ſi illud corruptum ſit, Et quid de permiſſione fluxus. Et quid, de procuratione diſtillationis,* 2.

*Ad malitiam pollutionis, vel effectus præter voluntatem contingentis, nil refert, ſive in ſomno ſive in vigilia accidat,* 3.

*Vacat culpa dare operam cauſæ alias licitæ, neceſſariæ, vel utili, quamvis prævideatur fore, ut pollutio ſubſequatur,* 4.

*Quid, ſi cauſa illa ſit mortalis ob circumſtantiam extrinſecam,* 5.

*Quid, ſi ſit periculum conſenſus, & quando id contingat: & num ob cauſam urgentem liceat ei ſe periculo exponere,* 6.

*Quid, ſi ex equitatione ſequatur pollutio,* 7.

*Quid, ſi ex tactu etiam partium verendarum neceſſario ſequatur: ut facto ad medendum: vel ex amplexu licito,* 8.

*An liceat cum periculo pollutionis auferre impedimenta virtutis generantis,* 9.

*An ſit culpa lethalis, non vitare cauſam in qua prævidetur pollutio, ubi deficit neceſſitas aut utilitas illius cauſæ. Refertur triplex ſententia, n.* 10. 11. *&* 12.

*Duplex eſt cauſa, ex qua poteſt ſubſequi pollutio.* 13.

*Tenuis eſt obligatio vitandi pollutionem, quæ præter intentionem ſequitur,* 14.

*Solum eſt mortale non vitare cauſam pollutionis prævilæ, quando cauſa eſt turpis, & per ſe ac ex natura ſua tendit ad pollutionem, nec urget neceſſitas,* 15.

*Quamvis extra genus luxuriæ ſit cauſa mortalis, ut in genere gulæ, non eſt mortalis pollutio in ea prævilæ,* 16.

*Quid, ſi cauſa illa mortalis pertineat ad luxuriam ratione ſolius finis,* 17.

*Quid, ſi cauſa ad luxuriam pertinens ſit tantum venialis,* 18.

*Quid, ſi ſentitur vehemens commotio in perſeverantia in re turpi veniali,* 19.

*Quid, ſi res leviter turpis ſit mortalis ratione deſiderii fornicandi,* 20.

*An ſit veniale contra caſtitatem, quando vel cauſa eſt licita, non tamen eſt per ſe cauſa: vel eſt licita, at deſideratur neceſſitas,* 21.

*An omnis actus mortaliter turpis, ſive in eo prævideatur pollutio, ſive non, habeat ſpecialem pollutionis malitiam,* 22.

*Inter ſolutos ſolus actus alias mortaliter turpis habet ſpecialem pollutionis in eo prævilæ malitiam,* 23.

*Si quis negative ſe habeat, aut tepide reſiſtat vehementi delectationi venereæ, prævidens pollutionis periculum, peccat mortaliter ratione illius,* 24.

*Cauſæ alias licitæ, notabiliter influendi ad pollutionem, eſt peccatum lethale vacare, ubi non excuſat cauſa urgens,* 25.

*Qua-*



*Qualiter intelligatur talem eſſe pollutionem indirecte volitam, qualem cauſam,* 26.

*Pollutio hæc an ſit vere peccatum diſtinctæ malitiæ, a malitia cauſæ,* 27.

*An vacet culpa pollutio ſubſequens pœnitentiam cauſæ datæ, num.* 28. *&* 29.

*Reprobantur dicentes fieri poſſe, ut ebrietatis ſomnive tempore gratia perdatur,* 30.

*An ſit peccatum mortale dare cauſam notabili diſtillationi,* 31.

*Solvuntur argumenta,* 32.

*Poſt n. 32. invenies ſummaria, quæ deſiderantur.*

1 Diſputatio hæc valde difficilis pendet ex cognitione naturæ pollutionis, quando non eſt intenta, ſed prævidetur in cauſa. Et ideo præmittenda eſt quæſtio, quando dare operam cauſæ, in qua prævidetur, ſit lethale, ratione pollutionis prævilæ. Deinde diſputabitur, quando tactus, aſpectus, turpia verba inter conjuges ſint mortalia ob pollutionis non intentæ periculum.

2 Quæſtio I. An ſemper ſit culpa lethalis, vacare actioni in qua prævidetur pollutio præter intentionem ſubſequenda? Supponendum eſt primo, ex membro pudendo præter urinam, & ſemen procedere aliquando tertium quemdam humorem medium, qui ſemini eſt ſimilis in colore, & infectione, carniſque commotione, quæ aliquando ipſum comitatur: diſſimilis autem, eo quod non ſit ita mordax ac groſſus, faciliuſque fluat, nec cum tanta carnis commotione, & in minori copia; aliquandoque imperceptibiliter, & ſine carnis motu. Hic ſolet appellari diſtillatio. Sic *D. Th. opuſc. 64. c. de fluxu libidin. Gerſon 2. p. tr. de pollut. diurn. propoſ. 4. alphab. 38. lit. E. Cajet. opuſc. t. 1. tr. 22. de pollut. ex auditu confeſſionis, qu. unic. art. 2. §. Animadverte tamen, in fin. Margar. confeſ. qu. moralib. fol.* 156. Addunt *Cajet. & Margarita*, non eſt magis curandum de hac diſtillatione, niſi ipſam carnis rebellio comitaretur, quam de ſudore. Et *D. Th.* hoc ait eſſe ſignum, quod pollutio minime ſit. Quia hæc in vigilia contingere nequit abſque carnis commotione, ac venerea delectatione. Cur autem pollutionem numquam etiam pro vita tuenda procurare liceat? diximus diſp. 17. num. 16. & 19. quid, ubi ſemen eſt corruptum? & n. 18. quid de diſtillatione? & n. 17. an liceat pollutionem inceptam non interrumpere, ſed permittere: & ad illius perfectam emiſſionem auxiliari?

3 Secundo ſupponendum eſt, nil referre ad malitiam pollutionis, aut effectus cujuslibet, præter intentionem evenientium. in ſolaque cauſa indirecte volitorum, ſive in ſomnis, ſive in vigilia accidant. Quia cum in ſola cauſa ſint indirecte volita, in ea ſola habent rationem boni, vel mali moralis: & proinde cetera per accidens contingunt. Ita *Cajet. qu. un. in princ. quam n. præced. allegavi. Armill. v. Pollutio, n. 3. Metina 1. 2. q. 74. ar. 6. verſ. 2. notandum. Zumel ead. qu. ar. 8. diſp. 4. ante dub. 1. d. 2. Valent. 2. 2. diſp. 9. qu. 3. punct. 3. §. Porro ad incurrendum.*

4 His præmiſſis conſtat inter omnes DD. quoties pollutio ſequitur præter intentionem ex cauſa aliqua neceſſaria, vel convenienti corpori, ut eſt cibus, vel potus moderatus; aut animæ, ut orare, ſtudere, vel utili aliis, ut eſt audire confeſſiones, feminas caute, & cum neceſſitate alloqui, nullam eſſe culpam non deſiſtere a cauſa illa, quamvis in ea prævideatur pollutio inde ſubſequenda. Probatur primo, quia ille patiens pollutionem potius patitur, quam agat. Ut dum ex naturæ infirmitate procedit, teſtatur *D. Gregor. reſp. 11. ad Auguſt. & refertur c. Teſtamentum d. 6.* 2. quia non imputatur jus ſuum proſequenti, effectus per accidens, ac præter intentionem ſubſecutus, non ergo ob pollutionem non intentam arcendus eſt quis, ne pleraſque actiones ſibi vel proximo convenientes, ad quas jus habet, exerceat. Alias multæ actiones neceſſariæ eſſent omittendæ, ac innumeri laquei injicerentur. Atque ita docent *D. Thom. 2. 2. qu. 154. art. 5. corp. Cajet. opuſc. t. 1. tr. 22. de pollutione ex audientia conf. qu. un. art. 1. & 2. Gerſon. 2. p. tr. de pollut. diurn. propoſ. 12. alph. 38. lit. I. Abulen. c. 5. Matth. qu. 246. verſ. Secunda cauſa, & q. 247. verſ. Aliter poteſt dici d. Ant. 2. p. t. 6. c. 5. §. Quartum ad cauſam verſ. Secunda cauſa. Tabiena, verb. Cogitatio, qu. 6. num. 7. fine Armill. verb. Pollutio, num. 1. Nav. ſum. c. 16. Hiſp. n. 6. Lat. num. 7. Ledeſ. 1. p. qu. 21. art. 7. dub. ult. Margarita conf. qu. moral. fol. 156. Nieva ſum. tit. 105. Metina l. 1. ſumm. cap. 14. §. 18. fol. 120. & 1. 2. qu. 74. ar. 6. dubio ſpeciali, quod movet de hac re Zumel ea q. 8. diſp. 4. ante dub. 1. & ibi Vaſq. diſt. 115. num. 8. Turrecr. c. Non eſt, d. 6. num. 2. & 4. Valentia 2. 2. diſp. 9. qu. 3. punct. 3. §. Cum autem cauſa, Nav. l. 2. de reſt. cap. 3. dub. 2. de indirecte occidente, in nova edit. n. 131 Lud. Lop. 1. p. inſtr. cap. 73. §. pen. & fin. Manuel 1. t. ſum. 2. edit. c. 211. n. 1. Graſſis 1. p. deciſ. lib. 2. cap. 87. fin. Emm. Sa ſumm. verb. Luxuria, verſ. Pollutio involuntaria. Vega 2. tom. ſum. c. 67. caſu 1. Philiarc. de officio Sacerd. t. 1. part. 2. l. 4. cap. 18. fine.*

5 Imo idem dicendum eſt, quamvis ea cauſa licita, in qua pollutio prævidetur: ſit illicita ratione circumſtantiæ extrinſecæ nihil ad pollutionem conferentis. Ut ſi quis confeſſiones audiat ob vanam gloriam: vel cibos neceſſarios ſuſtentationi edat, quibus præceptum jejunii violat, pollutio enim inde præter voluntatem ſecuta, quamvis prævilſa, vacabit omnino culpa. Quia is actus eſt de ſe licitus, & conveniens, atque circumſtantia, qua vitiatur, nil influit quo pollutio ſubſequatur, ſed potius ex naturæ infirmitate procedit. Deinde, quia eadem ciborum ſumptio in die non jejunii minime tribuetur culpæ, ratione pollutionis in ea prævilæ; ergo nec quamvis ea violetur jejunium. Si quidem hæc violatio impertinens eſt, ut pollutio ſequatur. Demum, quia damna minime imputantur jus ſuum proſequenti, quamvis aliunde peccet, ut conſtat in judice puniente reum, ob iram vel inanem gloriam.

Eſt tamen doctrina hæc temperanda, niſi probabile conſenſus in pollutionis delectationem periculum ſubſit: tunc enim quamtumvis cauſa licita ſit, eſt ab ea abſtinendum ſub culpa lethali. Quia amans periculum peribit in illo, Eccleſ. 3. Sic *Cajet. opuſc. t. 1. tr. 22. de pollutione, qu. un. art. 2. §. Animadvertere tamen, Tabiena, Nav. Margarita confeſſ. Graſſis, Ludov. Lop. Emm. Sa*, quos n. 4. retuli. Tunc autem id periculum contingit, quando quis expertus eſt ſe in ſimili occaſione fere ſemper in culpam mortalem labi, ut docent *Cajet. ſum. v. Periculum*, ubi *Armill. n. un. Nav. ſum. Latina, c. 3. n. 14. Hiſp. c. 28. addit. ad eumdem nu. Corduba ſumm q. 4. fol. 18. verſ. Lo ſegundo, Manuel 1. ſum. 2. edit. c. 49. n. 2.* Huic autem periculo licite quis ſe exponet ob cauſam valde urgentem proponens firmiter ſe non conſenſurum, ut gratia medendi feminæ, ubi alius deeſt medicus, Quia amans periculum minime dicitur qui neceſſitate compulſus in illud ſe conjicit, & de divina miſericordia confidere merito poterit, fore ut majus ſibi auxilium impendat, quo a lapſu caveat. Quod ſignificat *D. Baſilius de conſtit. monaſt. c. 4. paulo poſt princ.* his verbis: *Bellum quod præter voluntatem incidit nobis excipere fortaſſe neceſſarium ſit, ipſum vero aliquem voluntarium ſibi creare ſummæ ſtultitiæ eſt.* Idem colligitur ex *D. Th. 2. 2. qu. 10. art. 9. corp. in fine*, ubi docet infirmis in fide interdicendam eſſe fidelium participationem, niſi urgeat neceſſitas. Et ex *Cajet. ſumm. v. Periculum, & ibi Armilla, n. un.* ubi tradunt in cautelæ peccatum eſſe, exponere ſe periculo, niſi urgente neceſſitate. Et ex *Navar. ſum. Latina, c. 3. n. 15. Hiſpana c. 28. addit. ad eumdem nu. Cordub. in ſumm. qu. 4. fol. 20. c. Tentatores*, ubi docent poſſe abſolvi non vitantem peccandi occaſionem propinquam, dum cogit neceſſitas illi ſe exponere. Et ex *Caſtro lib. 2. de juſta hæret. punit. cap. 17. col. 9. fin. & ſeq.* ubi ait tentationibus fidei, vexatos, legentes hæreticorum libros, excuſari e periculo lapſus, cui ſe exponunt, ſi ex cauſa neceſſaria id efficiant. 6

Hinc deducitur expertum ſe pollui ex equitatione, abſque conſenſus periculo, non teneri pedeſtrem incedere, ab illaque deſiſtere. Quia eſt res utilis, nec cauſa per ſe, & ſuapte natura pollutionis. Sic *Nav. ſum. c. 16. Latina n. 7. Hiſp. n. 6. Vaſq. 1. 2. q. 74 ar. 8. diſp. 113. nu. 8. Lud. Lop. 2. p. inſtrum. de Euchariſt. c. 76. §. Sequitur etiam corollarie. Manuel 1. to. ſumm. 2. edit. c. 211. n. 1. Armilla v. Pollutio, n. 1. Vega 2. tom. ſumm. c. 67. caſu* 1. 7

Secundo deducitur, pollutionem præter intentionem ſubſecutam ex tactu licito, & in eo prævilſam, quando tactus ille eſt neceſſarius, & ceſſat conſenſus periculum, carere omni culpa. Ut ex amplexu juxta patriæ conſuetudinem, quo evitato in notam inurbanitatis incideretur. Et ex tactu quo chirurgus verenda feminæ attrectat: vel ex eorum aſpectu, cauſa medicinæ adhibendæ. Quamvis enim hæ cauſæ valde influant in pollutionem, ſunt tamen valde neceſſariæ, & ſuapte natura licitæ, quare effectus præter intentionem inde ſecutus, non cogit ab eis abſtinere. 8

Tertio deducitur, licitum eſſe virtutis generativæ obſtacula removere, adhibitis medicinis naturalibus minime tendentibus ad verum ſemen expellendum, ſed ad removendos humores corruptos: licet inde præter intentionem ſequatur pollutio, abſque conſenſus periculo. Et hoc eſt, quod ſubobſcure dixit *Altiſiod. l. 2. ſuæ ſum. tr. 28. c. 2. q. 2.* incidenter: & non quod ipſi ab aliquibus imponitur, nempe, ut voluerit licere aliquando ſeminis effuſionem procurare. Quoniam ſalus virtutis generativæ pertinet ad naturæ humanæ integritatem, nec minus bona eſt, quam aliarum corporis virium ſanitas. Nec medium illud ordinatur ad pollutionem. Quare audiendus non eſt *Cordub. l. 1. quæſt. q. 23. dub. 14. Altiſiodorenſem reprobans*: eo quod pollutio illa videatur volita in cauſa, inſtar homicidii ab ebrio commiſſi, antea prævili. Sed negandum eſt volitam eſſe in cauſa. Sicut non eſt volita, dum prævidetur in aliis cauſis neceſſariis, aut valde utilibus. Eo quod nulla ſit obligatio illas vitandi, ob pollutionem ſubſequentem. 9

Tota autem difficultas hujus diſp. eo ſpectat: An ubi nec neceſſitas, nec cauſæ utilitas adeſt, ſit mortale illi operam dare, ob pollutionem in ea prævilſam, abſque periculo conſenſus in illam? Triplex eſt ſententia. Prima docet eſſe mortale, quamvis cauſa alias licita ſit. Probatur primo, quia nefas, & crimen mortale eſt, ſibi vel alii grave damnum corporis, vel animæ abſque cauſa ſufficiente permittere. Pollutio autem grave malum corporis eſt, ipſum fœdans: & animum, quem inficit, turbat, & ad pravam delectationem quaſi trahit. Secundo, quia partem corporis, ut manum ſibi abſcindere abſque urgenti neceſſitate, mortale eſt. Semen autem dum intra viſcera eſt, pars eſt ipſius hominis. Et confirmatur, quia ſtrictior eſt obligatio non prodigendi ſemen, ob bonum prolis, ad quod ordinatur: quam manum conſervandi. Hanc enim abſcindere, 10

ob

ob totius incolumitatem individui, fas eſt. Illud autem in nullo eventu licet effundere extra copulam conjugalem. Tertio, quia prævidens in ſomnis ſubſequendum homicidium, aut fornicationem ex cauſa in vigilia volita, tenetur ſub mortali cauſam evitare. At pollutio pejor eſt fornicatione: & damnum infert proli. Quarto, quia licet ſtrictior ſit obligatio vitandi damni proprii, vel proximi exiſtentis, quam prolis poſſibilis; at utraq; obligatio eodem præcepto, & ſub mortali imponitur. Quinto, quia natura commiſit homini uſum rerum ad finem ab ipſa inſtitutum, niſi urgens cauſa aliud ſuadeat. Ut conceſſit membra corporis, ut cuſtodiret, nec periculo exponeret, niſi ob reipublicæ, aut majus proprium bonum: & ſemen ſimiliter tribuit ad bonum generationis in matrimonio. Ergo contra naturæ ordinem eſt, & ſubinde mortale, fluxum ſeminis abſque cauſa urgente permittere. Sexto, quia non impedire pollutionem illam in cauſa alias licita, nec neceſſario præviſam, eſt aliqualis culpa contraria caſtitati, (ut dicemus n.21.) Et non poteſt eſſe venialis. Cum materia ſit gravis, nec ſit defectus voluntarii: eſt enim prævila. Septimo, quia qui vult antecedens, vult conſequens, quod ex eo infertur. Et qui vult cauſam, vult effectum, *l.1. §.1. ff. ſi uſufructus petatur*. Ergo volens cauſam in qua pollutionem prævidet, ipſam pollutionem vult: ac proinde reus erit culpæ mortalis. Et confirmat. quia dum operans novit duplicem ſuæ actionis effectum, uterque eſt voluntarius. Octavo, quia in reliquis præceptis etiam humanis, non excuſat quævis cauſa, ſed neceſſaria, vel valde utilis. Ergo a fortiori in hoc, quod juris naturalis eſt, & verſatur circa rem intrinſece malam. Nono, quia præceptum obligans ad vitandam pollutionem, obligat ſubinde ad abſtinendum a cauſa, quæ prævidetur: ut conſtat in præcepto non occidendi. Et ideo hujus ſent. ſunt *Metina* 1.2. *qu.74. art.6. ad 3. & 4. Zumel ead. art.8. diſp.4. ante dubium* 1. *in ſolut. ad* 1. *confirm. Valent.* 2.2. *diſp. 9. q.3. punct.3. §.Itaque duo requiruntur, & §.Sunt autem, & §.Itaque ad cognoſcendam. Manuel* 1.t. *ſum.* 2.*edit. c.*211 *nu.*1. *ad medium, & in fin.* Ejuſdem ſent. videtur expreſſe *Nav l.2. de reſtit. c.1. dub.5. in nova edit. n.39. &* 40. ubi æquiparat homicidium, & pollutionem in cauſa prævila: & ait ſcientem ex nimio potu, equitatione, ſomno, non neceſſariis, nec utilibus, illa ſubſequi, reum eſſe culpæ mortalis. Et *c.3. diffic.*2. de indirecte occidente *nu.*131. §. *Mihi videtur*, ait fas eſſe, opus alias licitum, & neceſſarium facere, licet inde effuſio ſeminis ſequenda ſit: ubi ponderat, ut opus ſit licitum, & neceſſarium. Atque favent *Sotus* 4. *d.*12. *qu.* 1. *art.7. verſ. Ex his autem colligito. Corduba l.2. quæſt. q.3. col. pen.* §.5. *probatur. Graſſis* 1.*p. deciſion. l.2. cap.87. n.*13. ubi ajunt prævidentem pollutionem, eo quod reſupinus dormiat, aut juſtam refectionem ſumat, non teneri a cœna abſtinere, aut aliter jacentem dormire, ſi non ita commode poteſt. Ubi in cauſis licitis, ne imputetur pollutio prævila, petunt aliquam commoditatem, & utilitatem.

11 Secunda ſententia docet, dantem operam cuicumque rei illicitæ, etiam veniali, teneri ſub mortali, ab ea abſtinere, ratione pollutionis in ea prævilæ. Ut quando ex nimio cibo, aut potu, qui exceſſus eſt communiter venialis, prævidet pollutionem ſubſequendam. Ducitur, quia dantem operam rei licitæ excuſat a pollutione prævila juris ſui proſecutio. Quæ ratio in illicita veniali deficit, cum nemo jus peccandi habeat. 2. quia effectus malus in cauſa prævilus, communicat cauſæ ſuam malitiam. Cum ergo pollutio ſit ex ſe mortalis, prævila in cauſa veniali, reddet illam mortalem. Tertio, quia exceſſus in potu de ſe venialis, efficitur mortalis ratione ebrietatis in eo prævilæ. Quarto, quia ſaltem quando cauſa venialis ad luxuriam pertinet, hoc habebit verum. Quia ex hujuſmodi rebus frequentius ſequitur pollutio; atque ita erunt per ſe cauſæ. Hanc tenet *Armilla v. Pollutio, n.*1. ubi ait eſſe indirecte volitam pollutionem, & ita non excuſari, quando abſque juſta cauſa aliquis detinetur in cogitationibus turpibus, aut non dat operam rei licitæ. Et favent *Sot.4. d.12. q.1. art.7. verſ. Ex his autem colligito. Corduba lib.2. quæſtion. qu.23. col. pen.* §.5. *probatur. Lud. Lop. 2.p. inſtr. c.76. de Euch. §. Sequitur etiam corollarie*, ubi ajunt tunc eſſe peccatum, pollutionem nocturnam, quando eſt virtute volita per applicationem vitioſæ cauſæ, ut cogitationis turpis, crapulæ, ingluviei. Et favet *Enriq. l.5. de pœnit. c.5. nu.5. in comment. lit. Z. in fin.* ubi dicit cauſam per ſe venialem poſſe mortalem effici ratione eventus futuri in ea prævili. Sed ibi agit de homicidio in cauſa veniali prævilo: in quo eſt longe diſpar ratio, ut dicemus n.14.

12 Tertia ſententia docet pollutionem eſſe mortalem, quoties cauſa, in qua prævidetur, eſt mortalis: & proinde tunc adeſſe illi actui ſpecialem malitiam ratione pollutionis prævilę. Prob. quia tunc non eſt tanta difficultas vitandi cauſam, ac quando ſolum venialis eſt: ac proinde difficultas minime excuſabit. Nec etiam excuſat jus aliquod quod operans proſequatur. Cum tunc omni prorſus jure deſtitutus ſit ad opus, quod lethale crimen eſt. Secundo, quia cum illa pollutio non ſit in ſe volita, ſed in cauſa in qua prævidetur, in tantum mala erit, in quantum mala eſt cauſa: in tantum enim culpa eſt, in quantum eſt voluntaria. Si ergo cauſa eſt lethaliter mala, talis erit pollutio. Et confirmatur ex *D. Aug. l.22. contra Fauſtum*, ubi ait, Loth non quantum inceſtus, ſed quantum ebrietas præcedens meruit, in culpa fuiſſe. Hujus ſententiæ videtur clare *D. Thom.* 2.2. *qu.* 154. *ar.5. corp. Turrecr. c. Non eſt, d.6. num.*2. ubi culpam pollutionis juxta culpam cauſæ metiuntur dicentes nocturnam pollutionem, ex culpabili cauſa procedentem, culpam eſſe, ſecus quando ex inculpabili. Et clarius *Cajet. opuſ. t.1. tr.22. de pollut. q.un. art.2. & 2.2. qu.64 art.8. col.2. paulo ante §. Et confirmatur. Ang. v. Pollutio init. Sot.* 4. *d.12. q.1 ar.7. paulo poſt princ.* ubi aſſeverant pollutionis hujus bonitatem, vel malitiam moralem ex bonitate vel malitia cauſæ æſtimandam eſſe. Et adhuc clarius *Gerſon 2.p. tract. de pollut. diurna propoſit.1. alph.38. lit.E. Metina l.1. ſum.c.14.* §.18. *fol.*120. *Lud. Lop. 1.p. inſtruct. c.73. fin. Vega 2.t. ſum. c.67. caſu* 1. ubi ajunt indiſtincte pollutionem, ex cauſa mortali procedentem, eſſe mortalem, & ex cauſa veniali, venialem. Ejuſdem ſententiæ videtur *Sylveſt. v. Pollutio, in fin.* ubi ait tunc illam eſſe mortalem, quando procuratur, aut venit cum peccato mortali illi conjuncto. Ejuſdem eſt *Abulenſ. cap.5. Matth. qu.247. verſic. Si autem ex cibo*, ubi ait idem eſſe judicium, quoad culpam, de pollutione ex nimio cibo, aut potu mortali procedente, ſicut de ea, quæ procedit ex turpi cogitatione: quam paulo ante dixerat eſſe mortalem. Eamdem tenet *Led. 1. p.4. q.21. ar.7. ſtatim in princ. propoſit.* 10. ubi ait quotieſcumque cauſa pollutionis eſt mortalis, ipſam eſſe mortalem: & *dub.1. fin.* docet explicandam eſſe neceſſario in confeſſione pollutionem procedentem ex nimio cibo, aut potu lethali: & ita clare ſentit eſſe peccatum mortale: aliter non eſſet neceſſario confitenda. Et idem tenet *Bart. a Led. de Euchariſtia, dub.24. paulo poſt princ.* ubi dicit talem eſſe pollutionem, qualem cauſam: & addit ita eſſe peccatum mortale, quando provenit ex cogitatione moroſa deliberata, ebrietate, vel crapula. Idem docet *Alex. in ſuo Enchir. 2.p. tr. de luxuria, §. Si propter crapulam, quando procedit ex crapula mortali.* Referuntur pro hac ſent. *D.Th. 3.p. qu.80. art.7. corp. Adrian. 4.tr. de Euchariſt. qu. ſpeciali, de pollut. impediente ejus ſumptionem, quæ incipit. Reſtat jam videre, an propter corporalem immunditiam, §. Ad rationes oppoſitas. D. Anton. 3.part. t.13. cap.6.* §.10. ubi dicunt pollutum nocte ex crapula præcedenti mortali, teneri ab Euchariſtia abſtinere. Sed revera non ſunt hujus ſent. Id enim impedimentum eſt ob mortale crimen cauſæ.

13 Sed ut in re difficillima meam explicem ſententiam, duo ſuppoſita præmittenda ſunt. Alterum eſt: cauſæ in quibus pollutio prævidetur, quædam ſunt ex luxuriæ genere, nimirum, quæ per ſe turpes ſunt, & ad luxuriam pertinent directe. Ut tactus, aſpectus, verba turpia. Et hæ proximius, & ſæpius cauſæ ſunt venereæ delectationis, excitantque appetitum ad illam, teſte *D. Thom. 2.2. qu.154. ar 5. corp.* Hujus autem rationem ſubdit, eo quod inde remaneat quoddam veſtigium inclinatioque in anima, ita ut dormiens facilius inducatur ad aſſentiendum actibus, ex quibus pollutio ſequitur. Aliæ vero ſunt non ex genere luxuriæ, ut nimius eſus, aut potus, vel equitatio. Hæ enim quamvis venerem excitent, at non ita proxime, ſed remote. Et ideo ad luxuriam minime ſpectant.

14 Alterum ſuppoſitum eſt. Valde tenuis eſt obligatio vitandi pollutionem in cauſis, quæ per ſe, & proxime non ordinantur ad illam: quales ſunt, quæ ad luxuriam minime pertinent: ſed per accidens, & præter intentionem agentis ex illis ſequitur: dummodo abſit periculum conſenſus in illius delectationem. Quare non eſt philoſophandum de hac obligatione, ſicut de obligatione vitandi homicidii in cauſa prævili. Quod inde conſtat. Quia pollutio non volita in ſe non eſt ſecundum ſe peccatum (ut bene docet *Vaſq. 1.2. q.74. ar.8. diſp.115. n.7.*) Sed taliter habita, ſicut eſt homicidium. Quod in omni ſententia fatendum eſt. Alias eſſet mortale cauſam adhibere quamcumque, ex qua ſciretur pollutionem ſubſequendam: prout contingit in homicidio prævilo. Cum tamen omnes multa concedant licite fieri, in quibus pollutio prævidetur, (ut diximus nu.4.) Deinde, quia damnum prolis eſt remotiſſimum, & multis viis impediri poteſt. Rurſus, quia cum natura vim habeat quibuſdam temporibus expellendi eum humorem, non multum refert, an paulo ante exeat, dummodo non intendatur. Atque ita ob modicam utilitatem excuſant DD. eum fluxum, (ut n.4. & ſeqq. vidimus.) Præterea, quia pollutio cujus non eſt cauſa, libera voluntas, aut alia notabiliter, ut illa ſubſequatur, influens, ſed præcipue provenit a virtute expulſiva, minime infert damnum notabile proli, ſed ſæpe eſt in commodum illius. Et talis modus expellendi non eſt ex ſuo genere contra ordinem naturæ, imo ordine, & vi ipſius naturæ expellitur id ſemen. Item, quia cum applicatio ad coitum fiat medio appetitu, ſola ſeminis expulſio facta per appetitum, tendit ſuapte natura ad coitum, quæ autem per vim expulſivam fit, tendit ſuapte natura non ad coitum, ſed ad naturæ alleviationem. Quare jus naturale prolis inde minime violatur, ſed illæſum manet, ſi emiſſio ſeminis non fiat extra copulam conjugalem, interveniente appetitu directe, & expreſſe illam volenti: vel indirecte, & tacite, applicando cauſas notabiliter pollutionem excitantes. Quales ſunt eæ ſolæ, quæ ad luxuriam pertinent. Tamdem, quia vis expultrix nec politice, ut appetitus, nec deſpotice, ut manus ſubjacet ſuapte natura gubernationi noſtræ: actus autem hujuſmodi virium non ſunt per ſe ordinati ad animaſticam ſeminis gubernationem: ad quam ſolam tenetur homo ſtricto præcepto obligante ſub culpa lethali. Tenuis ergo obligatio eſt vitandi pollutionem, quæ nec ex appetitu procedit, nec ex cauſis per ſe, & notabiliter ad illius fluxum concurrentibus.



15 His præmiſſis, prima concluſio ſit. Tunc ſolum reperitur culpa mortalis ratione pollutionis prævilæ, nec intentæ, quando abſque urgenti neceſſitate exercetur actio, ex ſua natura turpis, & per ſe tendens ad actus venereos excitandos, pollutionemque conſummandam. Hæc eſt contra tres ſententias propoſitas. Probatur prior pars concluſionis, nempe, eſſe peccatum mortale ratione pollutionis prævilæ, non vitare eas cauſas, in qua nemo diſcrepat. Quia lex naturalis obligans ad non procurandam ſeminis effuſionem, ſubinde obligat ad vitandas cauſas per ſe, & notabiliter influentes ad illam: ubi ceſſat neceſſitas: perinde enim videtur tunc illas applicare, ac procurare. Unde (ut recte ait *Cajet. ſum. v. Pollutio ad finem*) qui vult illas illicitas, periculoſas, & ſibi notas cauſas pollutionis propriæ, convincitur velle culpabiliter ipſam pollutionem, quę earum eſt naturalis effectus. Dixi autem abſque neceſſitate, propter dicta n.8. ubi neceſſitatem excuſare probavimus. Poſterior autem pars, in qua diſcrepamus a tribus ſententiis relatis, nimirum, non eſſe mortale minime vitare alias cauſas non turpes, quæ per accidens ad pollutionem concurrunt, ſic probatur. Quoniam quamvis aliquo modo concurrant, at non ſunt vere, & moraliter cauſæ pollutionis, ſed per accidens, & ſecundum quid, & potius illa effuſio procedit a virtute naturali expellente. Nulla igitur obligatio eſt ſub mortali, eas cauſas vitandi ratione pollutionis prævilæ. Nemo enim tenetur ſub mortali impedire pollutionem procedentem ex cauſa naturali non concurrente alia cauſa volita, notabiliter & per ſe influente. Eo vel maxime quod cum obligatio vitandi hujuſmodi pollutionem ſit tenuis, & modica, (ut n. præced. probavimus) illi ſatisfiet, vitando cauſas turpes, quæ per ſe, & notabiliter ad pollutionem conferunt. Hujus ſentent. videtur *Cajet. ſumm. v. Pollutio, ad fin.* & ipſum omnino ſequentes *Nieva ſumm. t.70. Philiar. de officio Sacerd. t.1. p.2. l.4. c.18. fin.* ubi hæc inquiunt: *Perſonæ, quæ ſine rationabili cauſa manent voluntarie in cogitationibus turpibus, aut converſationibus ingerentibus ſibi hujuſmodi commotiones, incurrunt voluntarias pollutiones. Quia volendo illas periculoſas cauſas pollutionis, convincuntur ipſam velle.* Ubi tractantes quando pollutio volita in cauſa ſit peccatum mortale: ſolum meminere cauſarum turpium, quæ per ſe, & ſuapte natura periculum pollutionis afferunt. Eamdem videntur tenere *D. Ant. 2.p. t.6. cap.5. §. Quoniam ad cauſam, verſ. Secunda cauſa Angel. verb. pollutio, in fin. Sylv. v. Virginitas, qu.4.* ubi tractantes, quando pollutio hæc ſit mortalis, explicant, quando procedit a turpi delectatione moroſa. Et apertius videtur hujus ſententiæ *Nav. ſum. c.16. Lat. n.6. Hiſp. n.5.* ubi loquens de pollutione hac, tunc dicit eam eſſe mortalem, quando quiſquam ſe illius periculo exponit admittens turpes cogitationes, & earum delectationem, aut ſe immiſcens converſationibus, aut tactibus turpibus, quæ ad eam provocant. Addit *Latine*, idem eſſe, ſi aliqua comedat in eum finem, ut ſibi pollutio eveniat. Ubi quando de cauſis turpibus notabiliter influentibus ſermonem fecit, nil aliud exegit ut pollutio ſit mortalis, præter voluntariam cauſæ admiſſionem. Ubi autem loquitur de aliis cauſis per accidens concurrentibus, ut de aliquorum comeſtione, petit voluntatem expreſſam excitandi ſe ad pollutionem. Ejuſdem ſent. videntur DD. quos num.12. retuli, aſſerentes culpam hujus pollutionis metiendam eſſe ex cauſæ culpa, & eſſe mortalem, quando ea eſt mortalis, nam intelligendi ſunt de ea, quæ vere, & ſimpliciter, ac per ſe cauſa eſt. Ceteræ enim cauſæ nomen minime merentur. Ejuſdem ſent. eſt aperte *Enriq. l. 8. de Euchariſt. c.51. n.2.* ubi ait pollutionem tunc eſſe lethalem, cum procedit ex cauſa mortali incitante, in qua eſt prævila. Et melius *l.1. de matr. cap.16. n.6.* cum eſt cauſa phyſica, & moralis, quæ provocat pollutionem. Eamdem tenet expreſſe *Suar. 3.p. qu.80. art.7. paulo poſt princ.* ubi tradit tunc ſolum in cauſa pollutionis reperiri culpam mortalem ratione pollutionis prævilæ, quando actio, quæ fuit cauſa pollutionis, ex natura ſua eſt turpis, & ordinata ad actus venereos excitandos, & conſummandos, ſecus quando illa actio in ſuo genere habet alias malitiam mortalem: non tamen ut eſt cauſa pollutionis. Et *Vaſq. 1.2. q.74. ar.8. diſp.125. n.9.* ubi tunc dicit eſſe peccatum mortale, quoties applicatur cauſa, quæ ex ſe nullum alium habet effectum, & per ſe tendit ad pollutionem, ut tactus. Secus ſi alium habet effectum; ut crapula mortalis.

16 Hinc deducitur 1. pollutionem prævilam in gulæ peccato, etiam mortali, ut in ebrietate, vel nimia comeſtione mortali, non habere ſpecialem pollutionis malitiam mortalem, niſi ſit intenta, aut ſit probabile conſenſus periculum, atque ita ratione pollutionis prævilæ non tenebitur aliquis ſub mortali eam cauſam vitare. Probatur de gula veniali. Quia qui comedit, aut bibit, proſequitur jus, quod habet a natura id faciendi: & cum ſit difficillimum in cibo, & potu, quæ neceſſario ſumenda ſunt, modum tenere; tum propter corruptionem naturæ, & appetitus, tum etiam, quia ignoratur quantitas determinata neceſſitati naturæ, ut optime docet utrumque *D. Auguſt. l.12. confeſſion. c.31.* non quiſquam obligandus ad rem adeo difficilem, ut vitet pollutionem involuntariam inde provenientem. Maxime cum talis obligatio vitandi pollutionem ſit tenuis (ut diximus n.14.) Et confirm. quia in multis hominibus eſſet frequentiſſima occaſio multorum ſcrupulorum, quamvis cauſam venialiter illicitam tenerentur ſub mortali vitare, ratione pollutionis in ea prævilæ. Atque huic magnæ difficultati non præponderat id remotum jus prolis poſſibilis, quod tot alia ad ſui exiſtentiam deſiderat. Prob. etiam de gula mortali, rationibus adductis n. præced. Quia hæc cauſa non ita influit ut ſubſequatur pollutio, ac cauſæ turpes pertinentes ad luxuriam. Hoc corroll. eſt contra DD. citatos pro 1. & 2. ſentent. n.10. & 11. & contra aliquos nu.12. allegatos, dicentes quando crapula eſt mortalis pollutionem in ea prævilam eſſe mortalem. Sed quod attinet quando gula eſt venialis, eſt expreſſa ſent. *D. Greg. reſp.11. ad Aug.* & habetur *c. Teſtamentum, d.6.* ait enim talem pollutionem non obſtare ſumptioni Euchariſtiæ. At ſi eſſet mortalis, obſtare utique. Tenent etiam *D. Ant. 2.p. tit.6. cap.5. paulo poſt princ. verſ. Et nota, quod quamvis Ang. v. Pollutio, n.2. Sylveſt. ibi in fin. & verb. Virginitas q.4. Roſella v. Communicare nu.4. fin. & ibi Tabiena qu.44. n.34. fin. Gerſon 2.p. tr. de pollution. diurna, propoſ.1. alphab 38. lit. E. Adrian. 4. tr. de Euchar. quæſt. quæ incipit, Dictum eſt, quod ſomnus excuſet a culpa, §. His præmiſſis, Navar. ſum. c.16. Latin. nu.8. Hiſpan. n.6. & 8. Lud. Lop. 1.p. inſtruct. c.74. §. Addimus non eſſe* Et quando gula eſt mortalis, colligatur ex DD. nu. præced. allegatis, qui videntur ſentire pollutionem prævilam in ſolis cauſis turpibus eſſe mortalem. Et tenet in propriis terminis, *Vaſq. ibi allegatus*. Idemque dicendum eſt, quando illa actio habet alias in ſuo genere malitiam mortalem, non tamen habet ſpecialem malitiam, ut eſt cauſa pollutionis. Ut ſi quis comedat rem graviter ſaluti nocentem, in qua prævidet pollutionem, ut bene docet *Suar. n. præced. in fine allegatus*.

17 Secundo deducitur: idem dicendum eſſe quamvis cauſæ non ad luxuriam pertinentes, ut nimia comeſtio, ebrietas mortalis, efficerentur lethales in genere luxuriæ, ratione ſolius finis intenti ab operante; adhuc enim pollutio in illis prævila, & præter intentionem accidens, non eſſet mortalis. Ut ſi quis calida comedat, vel excedat in cibo, & potu, etiam mortaliter, ut potentior fiat ad fornicandum. Quoniam finis ille nil cooperatur ad pollutionem; nec deſiderium copulæ, ceſſante delectatione in ipſa cogitata, habet rationem cauſę pollutionis, teſte *Cajet. 2. quæſt.154. art.5. paulo ante, §. In reſponſ. ad* 5. Quare ſola cauſa illius pollutionis eſt exceſſus in cibo, & potu. Pollutio autem in hujuſmodi cauſa, quę per accidens habet rationem cauſę illius, pręvila, & non intenta, minime eſt lethalis: ut probavi num. pręced.

18 Tertio infertur, nec eſſe mortalem pollutionem, quæ ſequitur ex rebus venialibus in genere luxuriæ, ſive ſint veniales defectu plenæ advertentiæ, ſive ex parvitate materiæ: exemplum prioris partis ſit, ut ſi ex delectatione moroſa rei turpis, quæ ex ſe eſt mortalis, at efficitur venialis defectu plenæ advertentiæ, ſequatur pollutio. Exemplum poſterioris ſit, ut ſi ex tactu levi manus, viſu, verbis, lectione, aliquantulum libidinoſis, & venialiter turpibus, ſequatur pollutio. Unde res hæ non efficiuntur mortales ratione pollutionis in eis previſę, nec intentę, ceſſante probabili conſenſus periculo: licet nulla neceſſitas, vel utilitas invitet ad hęc, ſed ſola curioſitas, & animi levitas. Probatur prior pars, quia ubi eſt plenę advertentię defectus, non poteſt eſſe culpa lethalis: & ſicut is excuſat a culpa lethali delectationem illam moroſam, quę ſuapte natura mortalis eſt, ita pariter a mortali excuſabit pollutionem inde ſecutam. Atque ita docent *Abulenſ. c.5. Matth. qu.247. verſ. De tertio patet: & verſ. Aliter poteſt dici. Turrecr. c. Non eſt, d.6. n.4. D. Ant. 2.p. tit.6. c.5. §. Quantam ad cauſam, ver. Secunda. Ang. v. Pollutio, in fin.* ubi *Sylveſt. in fin. & v. Virginitas, qu.4.* Prob. poſterior pars, nimirum, quando res illę ex parvitate materię ſunt venialiter turpes. Quoniam cum hęc obligatio tenuis ſit (ut diximus num.14.) non obligat ſub mortali cauſam levem, & leviter ſuapte natura concurrentem ad pollutionem, leviterque participantem malitiam illius vitare. Deinde, quia eſſet valde difficile vitare omnes cauſas leviter laſcivas. At pręceptum ęque ſe habet ad omnes cauſas ęquales. Tandem, quia cum cauſę illę leviter influant, ſunt quodammodo, & ſecundum quid cauſę, & potius illa pollutio a cauſa naturali procedit. Et ſic expreſſe tenet *Cajet. 2.2. qu.64. art.8. col.3. paulo ante* §. Et confirmatur, ubi dicit pollutionem nocturnam, procedentem ex pręvia delectatione veniali, eſſe ſolum venialem. Idem *Enriq. l.11. de matrim. c.16. nu.6. & Emm. Sa num. verb. Luxuria, verſ. Si pollutionis*, ubi uterque dicit pollutionem prævilam, nec intentam, in aſpectu curioſo feminæ, delectatione turpi non eſſe mortalem. Et idem *Enriq. l.8. de Euchar. c.51. n.2.* exigit, ut pollutio ſit mortalis, cauſam incitantem eſſe mortalem. Ejuſdem ſent. ſunt DD. quos nu.23. retuli, dicentes malitiam pollutionis hujus ex malitia cauſæ metiendam eſſe: & ideo mortalem non eſſe ubi cauſa eſt ſolum venialis.

19 Aliqui temperant hoc, niſi perſeveretur in prædictis rebus venialiter turpibus, ſentiaturque vehemens commotio appetitus, & periculum pollutionis proximum, etiam abſque conſenſus periculo; tunc enim dicunt eſſe mortale. Ducuntur, quia tenetur quilibet ſub mortali cohibere appetitum, nec habere ſe negative (ut nu.24. dicemus) quando imminet proximum pollutionis periculum. Sed diſplicet limitatio. Quia ea doctrina

ctrina vera eſt, quando dilectio turpis, vel alia cauſa notabiliter influit, ut ſequatur pollutio. Quales non ſunt res leviter turpes.

20 Imo idem credo, quamvis res illæ leviter turpes eſſent ex alia ratione peccatum mortale: nempe, ex voluntate copulæ, vel habendi tactus inhoneſtos: adhuc enim non efficerentur mortales ratione pollutionis in eis prævifæ, dummodo nec in delectationem veneream, nec in cogitationem ſit conſenſus, nec periculum conſenſus in pollutionem. Atque ita id ſolum erit peccatum mortale pravi illius deſiderii, non autem mollitiei. Quoniam res illæ leves non influunt notabiliter ad pollutionem, nec deſiderium illud, dum non perſiſtitur in cogitatione, & delectatione turpi: quæ ſolent vehementer excitare appetitum, vireſque pollutionis emiſſivas commovere (ut ex Cajetani mente diximus n.17.) Atque ea, quæ ibi diximus hoc idem probant.

21 Negandum tamen non eſt, eſſe peccatum veniale contra caſtitatem, pollutionem illam prævifam in cauſis illicitis, quæ non influunt notabiliter ad illam. Quod de pollutione ſecuta ex crapula fatetur *D. Greg. reſponſ.* 11. *ad Auguſt.* & refertur *c.Teſtament. d.9. & ibi gloſſ. v. Reatum. Gerſon. 2.p. tr. de pollut. diurna, propoſ.* 1. *alphab.* 38. *lit. E.* Et de pollutione ſecuta ex cauſis leviter turpibus, docet *Emm. Sa ſumm. v. Luxuria, v.Si pollutionis*. Imo quando prævidetur in cauſis licitis, & illæ non vitantur, cum nulla adſit utilitas: exiſtimo eſſe peccatum veniale contra caſtitatem. Quia aliquantulum illa offenditur, non vitata pollutione illa turpi, ejuſque inimica, nulla utilitate cogente ad cauſam illius.

22 Quarto infertur, omnem actum turpem mortalem contra ſextum præceptum, ſi in eo prævideatur pollutio etiam non intenta, habere ſpecialem malitiam contra naturam, ratione illius pollutionis prævifæ. Quia notabiliter ad illam influit, eſtque per ſe cauſa illius. Et hoc amplius probavimus num. 15. Imo quando quis perſiſtit in actu turpi, ſi ſequatur pollutio, aut adſit illius periculum, quamvis non prævideatur, contrahetur culpa pollutionis. Quia eſt ea cauſa notabiliter influens, & tenebatur ille prævidere. Si tamen non ita duret ea cogitatio turpis, vel eæ adſint circumſtantiæ, ut non timeatur probabiliter pollutio: non erit peccatum mortale, pollutio præter opinionem ſecuta. Ducor, quia alias omnis conſenſus in delectationem veneream, ſi præter ſpem ſequatur pollutio, haberet pollutionis malitiam, eſſetque peccatum contra naturam; imo licet non ſequatur, ratione periculi. Quia daretur cauſa notabilis pollutionis. Quod nemo dicet. Item, quia cum probabile non ſit, fore ut illa pollutio ſubſequatur, non debuit prævideri: ac ſubinde nec indirecte eſt volita, nec culpæ poteſt tribui.

24 Quinto infertur, inter omnino ſolutos, ideſt, qui nec matrimonium nec ſponſalia inter ſe injerunt, nullum actum habere malitiam mortalem, eo quod ſit pollutionis prævifæ, & non intentæ cauſa, niſi ſecluſo eo pollutionis periculo, eſſet mortalis contra ſextum Decalogi præceptum. Quia ſoli tales actus ſunt notabilis cauſa pollutionis. Et quando ex ſe notabiliter influerent, & excuſaret notabilis neceſſitas a pollutione, ſimiliter excuſaret a culpa contra ſextum præceptum, ut conſtat in tactibus impudicis chirurgi ad medendum feminæ, juxta dicta n.8. Conſtat etiam hoc coroll. ex dictis n.15. 18. & 19.

24 Excipe tamen, niſi in venerea delectatione voluntas negative ſe habeat, nec admittens, nec reſpuens. Quamvis enim ſit probabiliſſimum non eſſe mortale ceſſante conſenſus periculo: at ſi periculum ſit pollutionis, quamvis non ſit conſenſus periculum, eſt mortale. Quia tenetur homo ſub mortali auferre cauſas notabiliter ad pollutionem concurrentes. Qualis eſt hæc. Imo (ut recte ait *Sylv. v.Delectatio qu.*1. *dict.*4.) eſt mortale, tunc tepide reſiſtere, præviſo eo periculo. Sed tenetur voluntas ferventius ſe habere, quo cauſam illam pollutionis avertat.

25 Sexto infertur, non eſſe attendendum ad hoc, ut pollutio prævifa, nec intenta, ſit mortalis, an cauſa ſit in ſe mortalis, ſecluſo eo periculo pollutionis, vel licita. Stat enim cauſam eſſe mortalem, & pollutionem ſolum venialem; ut quando non eſt cauſa per ſe, ut conſtat ex dictis nu.15. & duplici ſeq. Stat etiam cauſam eſſe ex ſe licitam, & effici mortalem: ob pollutionis periculum, ut conſtat in tactibus conjugatorum, & dicemus n.33. & ſeqq. Sed quia inter omnino ſolutos nulla datur cauſa notabiliter influens abſque urgenti neceſſitate exercita (quod deſideratur, ut pollutio ſit mortalis) quin ea ſecluſa, ſit in ſe mortalis: ideo n.23. dixi, ſolum actum mortaliter turpem inter eos, habere pollutionis malitiam. Ut autem regula generalis tradatur, ea eſſe debet. Quando cauſa pollutionis prævifæ, notabiliter, & per ſe influit, nec adeſt urgens neceſſitas illam exercendi, tribuitur culpæ mortali pollutio, eaque culpa afficiet cauſam, quamvis alias licita eſſet. Hujuſmodi autem cauſæ, ſolæ ſunt res venereæ.

26 Ultimo infertur in quo ſenſu vera ſit illa regula, quam n.12. retuli ex aliquibus DD. nimirum: Talis eſt pollutio in bonitate, & malitia, qualis eſt cauſa, in qua prævidetur, quando præter voluntatem, & abſque conſenſus periculo accidit? Primo enim intelligenda eſt, quando cauſa eſt turpis, ad luxuriamque pertinens, & notabiliter influens. Nam extra hoc genus rerum, licet cauſa ſit mortalis, pollutio non eſt mortalis, ut probavi n.15. 18. & 19. Deinde, quando cauſa alias eſt licita, & ad venerem pertinens, & conſequenter ex ſe pollutionem excitans, intelligenda eſt regula, ut talis ſit pollutio, nempe licita: quando cauſa urgens cogit ad non vitandam illam cauſam. Et in hoc caſu verum dicunt, *Navar. Valent. Metina, Zumel, Manuel, n.*11. *citati*, dum cauſam neceſſitatis poſtulant excuſantem, in eo qui dat operam rei licitæ, in qua pollutionem prævidet, ne peccati pollutionis prævifæ reus ſit. Nam univerſaliter, ut ipſi ſtatuunt dicentes alias eſſe peccatum mortale, verum non habet, ut conſtat ex dictis: habet tamen verum univerſaliter, ne ſit culpa venialis contra caſtitatem (ut dixi nu. 21.) Et quando ſunt res venereæ, quæ inter omnino ſolutos eſſent culpa lethalis, requiritur dicta cauſa urgens excuſans, ne tribuatur culpæ lethali pollutio illa prævifa etiam in cauſa licita, ut conſtat ex dictis n. præced.

27 Secunda concluſio. Pollutio nullo modo in ſe volita, ſed indirecte in cauſa, quæ juxta d. n.15. eſt peccatum mort. eſt vere peccatum, & ita appellanda eſt: ſed non eſt peccatum interius ratione ſui imputabile, ſed exterius, & imputabile ratione cauſæ, in qua eſt prævifa, & volita. Et ideo non addit novam malitiam denuo imputabilem malitiæ volitionis cauſæ. Quia ut vere ſit peccatum, non oportet ut ſit in ſe volita, ſed ſatis eſt volitam eſſe in cauſa. Sic docent *Abul. c.5. Matth. q.246. ad fin. corp. verſ.Tertio modo. Sot. 5. d.12. qu.1. ar.7. propoſ.1. & 2. Led. 1.p. qu.21. ar.7. dub. 1. Cordub. in quæſtion. l.2. qu.23. col. penul. §.Quinto probatur. Enriq. l.8. de Euchariſt. c.51. n.2. in commento, lit. F. Lud. Lop. 2.p. inſtr. de Euchar. c.76. §.Secundo advertendum.* Unde dum *Palud. 4. d.9. qu.2. art.1. concl.1. n.5. & ibi Majoris qu.2. concl.3. Martin. de Magiſtris, q. de pollut. nocturna. Navar. ſum. c.16. Hiſp. n.7. Lat. n.*8. dicunt eam pollutionem non eſſe in ſe peccatum, ſed in cauſa. Quod idem ſignificat *D.Th. 3.p. qu.80. art.7. corp.* dum ait pollutionem nocturnam non poſſe eſſe ſecundum ſe peccatum, ſed quandoque habere peccatum annexum ratione cauſæ, intelligendi ſunt, ut non ſit in ſe peccatum nova malitia imputabile, a malitia ſuæ cauſæ diverſa. Et ita *Majoris* ſtatim *concl.*4. ſe explicat.

28 Hinc deducitur primo, ſi dantem cauſam culpabilem pollutioni, pœnituerit legitimæ cauſæ datæ, antequam ſubſequatur, vacare culpa, pollutione poſtea ſubſecuta. Quia cum cauſa ſit interciſa jam pollutio eſt omnino involuntaria. Sic *Major. 4. d.9. qu.2. concl.2. Gerſon 2.p. tr. de pollut. diurn. propoſ.1. fin. alphab.38. lit.E. Sot. 4. d.12. qu.1. art.7. verſ. Hinc fit, Cordub. relatus nu. præced. Enriq. l.5. de pœn. c.5 n.5. in commento, lit. A. & l.8. de Euchariſt. c.51. num.2. commento, lit.H. Angles Florib. 2.ſent. d.37. de eſſentialib. peccatorum omiſſionibus, q.2. diffic.7. Lud. Lop. 2.p. inſtruct. de Euchariſt. c.76. §.Sequitur etiam ſecundo. Metina 1.2. qu. 71. art.5. col.ult. in ſolut. ad 1. Manuel 1.t. ſumm. 2.edit. c.11 nu.2. Graſſis 1.p. deciſion. l.2. c.87. n.14. fin. Vega 2.t. ſumm. cap.67. caſu 3.*

29 Secundo deducitur, quamvis de ſe non ſit ſatis fateri cauſam pollutioni datam, ſed etiam fatenda ipſa pollutio ſit, tanquam vere & proprie peccatum, quod affirmat *Led. 1.p. 4. qu.21. ar.7. dub.1. §.Et ad argumenta.* Et ſupponunt *Sot. 4. d.12. qu.1. ar.7. verſ.Hinc fit, & Lud. Lop. 1.p. inſtr. c.31 §.Præterea quia omnibus, & 2. p.76. de Euchariſt. §.Sequitur etiam ſecundo.* At ſi quis ante ſubſecutam pollutionem confiteatur cauſam datam, eſt probabile non teneri poſtea fateri pollutionem ſubſecutam. Quia jam nullam habet malitiam, & ſatis expreſſa eſt in ſua cauſa. Nec eſt ſimile de eo, qui percuſſit hominem, faſſuſque eſt percuſſionem: tenetur enim mortem poſtea ſubſecutam fateri. Quia pollutio nullo modo fuit in ſe volita, ſed præter intentionem accidit: nec ita influit cauſa data in eam, ſicut percuſſio in mortem. Et ita *Sot. ibi* dicit forte hoc eſſe verum. Tutius tamen ait eſſe, & *Lud. Lop. utroque loco citato*, ipſum ſequens, fateri pollutionem poſtea ſecutam. Quia apertius facto ſecuto, innoteſcit prior culpa.

30 Tamdem infertur, non eſſe audiendum *Marſilium 2. qu.21. art.2. Supplem.2.* dicentem, fieri poſſe, ut ebrius, vel dormiens amittat gratiam; ut ſi tunc admittat homicidium antea præviſum: vel incidat in pollutionem præviſam: in delectatione venerea antea habita. Quia cauſa in qua prævifa ſunt, & debuerunt vitari, jam contraxit malitiam mortalem effectus ſubſecuti, & tunc gratia perdita eſt. Quod ſi cauſa per legitimam pœnitentiam interciſa ſit, effectus poſtea ſubſecutus non imputabitur culpæ (ut n.29. diximus) atque ita gratiam per pœnitentiam illam cauſæ recuperatam non deperdet ille factus ebrius, aut dormiens. Atque ita aliis etiam rationibus id reprobat *Metina 1.2. q.71. ar.5. verſ.Eſt aliud dubium. Enriq. l.5. de pœn. c.5. n.5.*

31 Ultima concluſio. Quoties eſt peccatum mortale dare cauſam pollutioni prævifæ non removendo cauſas notabiliter influentes: ſimiliter eſt mortale dare cauſam notabili diſtillationi, aut commotioni ſpirituum vitalium ſervientium generationi, per ſimiles cauſas. Quia hæc diſtillatio, & commotio ſpirituum eſt notabiliter turpis, & quaſi inchoata pollutio. Quod num in conjugatis habeat verum? dicemus n.ult.

32 Ad arg. primæ ſent. n.11. propoſita reſp. Ad primum dic, non eſſe eam pollutionem grave damnum corporis, cum non ſit a cauſa excitante, & quaſi cogente, orta, ſed potius ex virtute naturali expellente ſemen non neceſſarium procedat. Nec animi: cum non ſit probabile conſenſus periculum, ut ſupponimus. Ad 2. dic, ſemen quoad hoc ſe habere inſtar partium, quæ



quæ in nutritione acquiri poſſunt, & deperdi: & non ſicut manus, aut pedes, unde has partes ſine urgentiſſima cauſa non licet abſcindere: illas vero non conſtringitur homo retinere, quas ut excrementa virtus naturalis expellit. Atque idem eſt de ſemine. Ad confirm. dic antecedens eſſe verum, quando ſemen ex intentione prodigitur: ſecus quando præter intentionem. Ad 3. dic, ſtrictius eſſe præceptum vitandi homicidii: ut ſatis probavi n.15. & ſimiliter ſtrictius eſſe vitandi illam fornicationem. Quia applicatio ad coitum fit per actus ad luxuriam pertinentes, per vires animaſticas. At pollutio, quam non tenetur quis vitare in cauſa, procedit ex cauſis per accidens, & ſecundum quid, nec ad luxuriam pertinentibus: aut ſi ad illam pertineant ſunt leves. Ad 4. dic, antecedens eſſe verum, de vitatione non dando operam cauſis, quæ per ſe pollutionem excitent. Secus de cauſis per accidens, & ſecundum quid. Ad 5. dic, naturam commiſiſſe homini ſemen ad finem inſtitutum, interdicendo ne per liberam voluntatem, aut cauſas notabiliter influentes deperderet illud: ſecus quando præter voluntatem, non removendo cauſas per accidens. Ad 6. dic, eſſe defectum voluntarii. Quia non eſt directe volita, nec indirecte, moraliter, & imputatione ad culpam mortalem: ſed venialem: quando procedit ex cauſis per accidens, & ſecundum quid. Et licet materia ſit gravis, at obligatio in hoc eventu eſt levis, ut probavi n.15. Ad 7. dic, eſſe verum, quando tenetur vitare antecedens, vel cauſam: Effectus enim præviſus, nec intentus in cauſa, quam non tenetur aliquis vitare, non dicitur voluntarius etiam indirecte, Ad confir. dic, licet quaſi phyſice dicantur voluntarii ambo effectus, at moraliter, & imputative ad culpam minime dici voluntarius, niſi quando quis tenetur ob effectum ceſſare a cauſa, & ſub ea culpa, ſub qua tenetur. Ad 8. dic, reliqua præcepta ſtrictius obligare quoad hoc, quod omnes fateri debent. Quia equitatio, ſtudium, audire confeſſiones, non excuſant a ſacri auditione, horis canonicis recitandis. Sicut excuſant juxta omnes a culpa pollutionis prævifæ. Atque ita donum prolis non exiſtentis, & requirentis totalia ad ſui exiſtentiam, non adæquatur illius obligationibus. Ad 9. dic. obligare ad abſtinendum a cauſa per ſe, & notabiliter excitante, ſub culpa mortali: a reliquis vero ſub veniali, ſi utilitas, & neceſſitas deſint. Ad argum. ſecundæ ſent. propoſita n.12. reſp. Ad 1. dic, quamvis rem venialem exercens non proſequatur jus ſuum, quatenus eſt culpa, at proſequitur, quatenus res illa eſt cauſa per accidens pollutionis prævifæ. Non enim præceptum vitandi eam pollutionem obligat ad rem adeo difficilem, ut eſt veniales ejus cauſas excuſare, niſi ſub ſola culpa veniali. Ad 2. dic, communicare ſuam malitiam cauſæ, quam tenetur operans vitare, & eo modo quo tenetur. Ad 3. dic, eſſe diſparem rationem. Quia exceſſus in potu eſt per ſe cauſa ebrietatis. Ad 4. dic, quamvis ſæpius ex iis cauſis venialibus, quam ex aliis ſequatur pollutio, non violari notabiliter id præceptum. Quia leviter concurrunt. Unde ſola culpa venialis erit ab illis non abſtinere. Ad argum. tertiæ ſent. nu. 13. propoſita reſp. Ad 1. dic, licet non ſit tanta difficultas in evitandis mortalibus, at quando eæ cauſæ in ſe mortales non ſunt cauſæ per ſe pollutionis, excuſare hoc a culpæ mortalis, ratione pollutionis prævifæ in illis contrahendæ, labe. Et quamvis operans non habeat jus ad illas cauſas, in quantum peccata ſunt, & ideo peccet. At id non provenit ratione pollutionis in eis prævifæ: & ideo non peccat mortaliter hac ratione. Ad 2. conſtat ex dictis n.27. Idem enim verum habet in cauſis per ſe pollutionis, & notabiliter ad illam conferentibus, quales ſunt venereæ. Ad confirm. dic, nullo modo probare illam ſententiam. Solum enim ſentit *D.Auguſt.* minime Loth peccaſſe in inceſtu; quia nullo modo fuit præviſus.

## *SUMMARIUM.*

*An tactus inter conjugatos ſint illiciti, quando adeſt pollutionis periculum. Refertur quædam ſententia, n.33.*

*In reddente, an ſint peccatum cum eo periculo, 34.*

*Non ſemper ſunt illiciti etiam in petente, ob id periculum, 35.*

*Quid de tactibus impudicis cum eo periculo, 36.*

*Quid, de tactibus, qui mutui amoris conjugalis ſunt indicia, 37.*

*Quid, de tactu conjugis ſecummet cum eo periculo, 38.*

*Quid, de delectatione moroſa copulæ cogitatæ cum eo periculo, 39.*

*Quid de verbis, & aſpectibus turpibus inter conjuges, cum eo periculo, 40.*

*Quid, ſi ex his omnibus ſola diſtillatio ſequatur cum commotione in membris generationi deſervientibus, 41.*

33 QUæſtio ſecunda. An tactus inter conjugatos, delectationes moroſæ, aſpectus, verba turpia, quæ omnia diximus diſputatione præced. licita eſſe, reddantur illicita ratione periculi pollutionis in alterutro conjuge prævifi? Quotquot DD. viderim, id de tactibus affirmant, aſſerentes eſſe mortales inter illos, ubi cum pollutionis periculo habentur. Quia licet conjuges dent operam rei licitæ, at tactus illi ſunt cauſa per ſe pollutionis, & notabiliter ad illam habendam influens. In quo eventu diximus n.25. reddi cauſam mortaliter illicitam ratione pollutionis prævifæ, quamvis eo periculo ſecluſo licita eſſet. Atque ita docent *Palud. 4. d.31. q.3. art.2. nu.17. D.Anton. 3.p. t.1. c.20. Angel. v.Debitum, n.26.* ubi *Sylveſt. qu 7. & ibi Armill. n.8. & verb.Impudicitia, n.3. Cajet. ſumm. ver. Matrim. c.ult. §.ult. & v.Interrogationes confeſſorum, in interrogat. circa 6. præcept. Roſella v. Debitum, nu.12. Victor. ſumm. de matrim. nu.274. Sot. 4. d.31. qu.un. art.4. fine,* ubi *Ovad. qu.un. propoſit.3. Navar. ſumm. c.16. n.42. Ledeſ. 2. p.4. qu.51. art.6. propoſit.8. Margarita conf. 6. præcet. fol. 88. Metina l.1. ſumm. c.14. §.18. & c.16. §.13. verſ.Lo nono. Alexand. in Enchirid. 2.p. præc.6.* ubi de debito conjugali, *§.Si ex tactib. Angl. Flor. 1.p. de matrim. qu.5. de bonis matrim. fin. Bart. a Led. dub.28. de matrim. fin. Petr. a Led. de matrim. qu.49. art.6. fin Enriq. l.11. de matrim. c.16. n.6. Manuel 1.t. ſumm. 2 edit. c.11. n.1. & 243. nu.9. Vivald. candelabro Sacram. 1.p. de matrim. n.260. Philiarc. de offic. Sacerd. t.1. p.2. l.19. paulo poſt princ. Emm. Sa ſum. v.Luxuria, §.Oſcula, & tactus. Graſſis 1.p. deciſ. d.2. c.82. nu.21. & c.74. fin.* Et idem dicunt *Cajet. ſumm. v.Matrim. c.ult. Armilla v.Debitum, n.8. Bart. a Led. dub.28. de matrim. fin.* ſi conjux expertus ſit ex iis tactibus ſequi pollutionem, & attendens periculum eis utatur: nam quamvis pollutio minime ſequatur, peccabit mortaliter ratione periculi, cui ſe expoſuit. Et quamvis aliqui ex his DD. loquantur de tactibus impudicis: ut *Cajetan. Sot. Navar. Metina, Alexand. Graſſis, Philiarc.* at abſque dubio non faciunt vim in tactibus, eo quod ſint impudici. Et ita *idemmet Cajetan. Metina, Graſſis*, in altero loco ex duplici citato de tactibus impudicis, in altero vero de omnibus loquuntur.

34 Prima tamen concluſio ſit. In reddente non ſunt mortales ii tactus, ſed liciti, quamvis adſit periculum pollutionis in alterutro conjuge, modo non ſit conſenſus in ipſo reddente in pollutionem illam. Hæc concluſio quamvis a nemine explicetur, non tamen eſt contra aliquem (ni fallor) ex DD. nu. præced. allegatis. Et ratio illius eſt. Quia reddens dat operam rei licitæ, ad quam obligatur ex jure alterius. Item, quia culpa vacant ii tactus exerciti cum periculo pollutionis, ubi adeſt cauſa urgens (ut diximus num. 25.) At ſatis urgens eſt cauſa reddendi tactus ab altero conjuge exactos. Hoc tamen temperarem, niſi tactus tales ſint, ut ita ad pollutionem tendant, ut ſint quaſi pollutio inchoata, & conjuges in eo loco exiſtant, in quo copulam habere nequeant, præviſo pollutionis periculo, Ut ſi vir a femina petat, ut ejus virilia attrectet, moveatque, aut velit digitos in uxoris vas intromittere, ibique perſiſtere, quaſi copulam exercendo, utens digitis inſtar membri virilis. Quia hujuſmodi tactus ſunt quaſi inchoata pollutio, & proxima ad ipſam via, quando ad propinquam copulam non diſponunt, ſed in eo loco exercentur, ubi non eſt opportunitas copulæ habendæ. Et hoc videtur ſentire *Navar. ſum. c.16. n.42.* ubi poſtquam initio dixerat eſſe mortales tactus inter conjuges cum periculo pollutionis, *in fine* ait, ſimiliter peccare mortaliter conjugem non facientem, ſed conſentientem.

35 Secunda concluſio. In conjuge petente non ſemper ſunt mortales tactus cum periculo pollutionis in ſe, vel in altero conjuge, quando nec ea eſt intenta, nec eſt conſenſus periculum. Sed erunt mortales, quando abſque cauſa urgente exercentur. Prob. quia licet hi tactus ſint cauſa per ſe pollutionis, at excuſat tali cauſæ operam dantem urgens cauſa (ut probavimus n.8. & 25.) At aliquando adeſt talis cauſa, ut dicemus n. 37. & concluſio hæc magis conſtabit ex corollariis ex ea deducendis.

36 Hinc deducitur primo, tactus impudicos in conjuge petente, cum pollutionis in ſe, vel in altero conjuge periculo, niſi in eo loco ſint, ubi adveniente periculo poſſint facile copula uti, ut pollutionem vitent, eſſe ſemper culpam lethalem. Et conſtat ex omnibus DD. numer. 33. relatis. Quia ii tactus neceſſarii non ſunt inter illos ad mutuum amorem indicandum, ſed ſolum quo ſe ad copulam ſtatim habendam præparent. Et ex alia parte, notabiliter pollutionem excitant.

37 Secundo deducitur, amplexus, & oſcula, & alios tactus ſolitos exerceri inter conjuges ad mutuum indicandum, fovendumque amorem, & turpitudine carentes, minime damnanda eſſe de culpa lethali, ob periculum pollutionis prævifæ: quando non nimia voluptas adeſt, nec incitat, ſed tanquam indicia amoris exercentur, repreſſo exceſſu libidinis inſurgentis. Et in hoc caſu teneo doctrinam generalem num.33. relatam, damnantem hos tactus. Ducor, quoniam cauſa urgens adeſt hujuſmodi tactus exercendi, ut mutuus indicetur foveaturque amor inter conjuges: magnaque auſteritas eſſet, & valde minueretur amor, ſi ab hujuſmodi tactibus abſtinerent. Denique, quia amplexus inter ſororem, & fratrem foris venientes ad indicandum amorem & ne auſteri, & inurbani videantur, non damnantur ob pollutionis prævifæ periculum (ut numer. 8. probavimus.) Cur ergo inter conjuges damnandi ſunt? Eo vel maxime, quod ubi non nimius libidinis ardor incitat eos, ſed voluntas mutui amoris fovendi, non influunt notabiliter in conjugatis ad pollutionem. Quamvis in omnino ſolutis, quibus copula eſt interdicta, influerent. Hæc eſt enim prava noſtræ naturæ corruptio, ut ſemper in vetita nitamur.

38 Tertio infertur, tactum quo conjux ſemetipſum tangit cum pollutionis periculo, eſſe culpam mortalem. Quia ad eam valde influit: nec cauſa urgens illud exercendi adeſt. Quamvis eo

eo periculo ſecluſo non ſit culpæ mortali tribuendus, ut diſput. præced. n.16. contra alios defendi, ubi & DD. retuli aſſerentes eſſe culpam moralem exiſtente pollutionis periculo.

39 Quarto infertur, delectationem moroſam conjugis in copulæ conjugalis cogitatione, quam ſecluſo pollutionis periculo, diximus diſp. præced. nu. 5. non eſſe mortalem, effici culpam lethalem eo periculo prævaſo. Quia eſt res ad venerem pertinens, valdeque ad pollutionem incitans, & deſideratur cauſa urgens. Atque ita docent *D.Ant. 3.p. t.5. c.1. §.6. fin. Roſell. v. Delectatio, nu.3. Tabiena v.Cogitatio fin. Armill. verb. Delectatio n.4 Viguerius lib. inſtit. c.3. §.5. verſ. 5. ad fin. Metina 1.2. q.74. ar.8. paulo poſt princ.* ubi *Zumel. diſp.5. dub. 2. fin. Vaſq. ibi diſp. 13. n.4.*

40 Tandem infertur, aſpectus, & verba turpia cum delectatione venereâ ſufficienti ad culpam lethalem inter ſolutos, quamvis inter conjugatos ſecluſo pollutionis periculo ab ea excuſentur ( ut diximus diſp. præced. n.13. ) minime ab ea excuſari, eo periculo exiſtente. Quia valde juvant ad pollutionem habendam, & deficit cauſa juſta.

41 Ultima concluſio. Non æſtimo eſſe mortale in conjugatis, per tactus, aſpectus, & verba turpia, delectationemque veneream ex copula cogitata conſurgentem, dare cauſam commotioni membrorum ſervientium generationi, & incurrere in diſtillationes prævaſas. Quamvis inter ſolutos dixerim num. 31. id eſſe lethale. Nam hoc non eſt grave damnum generationis in tali ſtatu: & aliunde eæ delectationes, & ſpirituum commotiones in eis, vacant culpa mortali, ut probavi diſp. præced. n.3. & 4.

## DISPUTATIO XLVI.

Utrum iter ſponſos de futuro, licita ſint tactus, aſpectus, & verba turpia. Et generaliter quando hæc inter omnino ſolutos ſint peccata mortalia?

### *SUMMARIUM.*

*Quot quæſtiones diſputandæ ſunt*, n.1.

*Tactus omnes non ſunt ſuapte natura illiciti, ſed indifferentes*, 2.

*Oſcula, & amplexus ex amore honeſto habita, & ob honeſtam delectationem quando ſint licita*, 3.

*Quotupliciter poſſint ad delectationem veneream referri, & an ſint mortalia, habita ad experiendam copulæ delectationem*, 4.

*Quid ſit delectatio venerea*, 5.

*An oſcula, & amplexus habita ad ſolam delectationem ex ipſis conſurgentem, ſint mortalia.* Refertur *quædam opinio*, 6.

*Sunt mortalia, numer.* 7. *Et quid, inter perſonas ejuſdem ſexus*, 8.

*An ſit parvitas materiæ in hac delectatione venerea*, 9.

*Quid, de amplexibus, oſculis, tactu mamillarum cauſa levitatis, & joci*, 10.

*Quid; de tactibus impudicis cauſa joci, aut curioſitatis*, 11.

*Quid, de his tactibus inter perſonas ejuſdem ſexus*, 12.

*Quid, de oſculis, & tactu carnium infantilium*, 13.

*Quid, de tactu ſecummet*, 14.

*Quid, de tactibus levibus, ut manuum, brachiorum*, 15.

*Quid ſi in his tactibus delectatio reperiatur*, 16.

*An in tactibus ſint confitendæ, eædem circumſtantiæ, quæ in opere*, 17.

*An Sodomiticus acceſſus ad conjugatam feminam: vel ſi conjugatus vir patiatur acceſſum ſodomiticum, & denique quicumque tactus, in quo non ſit emiſſio ſeminis conjugis, habeat circumſtantiam adulterii: & matrimonii lex obliget conjuges ad abſtinendum a mentis cogitatione*, 18.

*Solvuntur argumenta*, 19.

*Poſt num.19. invenies alia ſummaria.*

1 QUo perfectius quæſtio hæc diſſolvatur: præmittere oportet, quando hæc omnia inter omnino ſolutos lege matrimonii, & ſponſalium, mortali malitia afficiantur? Et ideo quadruplex eſt diſputanda quæſtio. Pima, de tactibus inter omnino ſolutos. Secunda, de aſpectibus turpibus inter eoſdem. Tertia, de verbis turpibus inter eos. Quarta, de his omnibus inter ſponſos de futuro.

2 Quæſtio I. Utrum delectatio in tactibus inter omnino ſolutos ſit peccatum mortale? Præmittenda ſunt duo in omni ſententia certa. Primum eſt. Tactus non ſunt de ſe, & intrinſece mali, ſed indifferentes. Quia formalitas nomine tactuum expreſſa eſt quædam actio ſenſus, quæ de ſe mala non eſt: & poteſt fieri licite, ſi cauſa eſt honeſta: & illicite, ſi inhoneſta ſit. Et ita docet *D.Th.* 2.2. *q.*154. *art.*4. quem omnes ſequuntur. Imo tactus quibus vir pudenda feminæ attrectat, indifferentes eſſe, bene tradit *Navar. c.Si cui, de pænit. d.* 1. *nu.*13. *Supplem. Gabrielis* 4. *d.*31. *qu.un. ar.*3. *dub.*2. Poſſunt enim aliquando licite fieri: ut cauſa medicandi.

3 Hinc fit oſcula, & amplexus ex benevolentia, & amicitia honeſta habita ſecundum patriæ conſuetudinem; culpa vacare Quia ibi nulla eſt turpitudo, ſed caſtus amor. Sic *D. Th. nu. præced. alleg.* cui nemo contradicit. Idem dicendum eſt, quando habentur ob delectationem honeſtam, ut ad augendum amicitiam, & benevolentiam honeſtam. Quamvis inde motus ſenſualitatis inordinatus, & delectatio venerea inſurgant, minime aſſenſum præſtante voluntate: quia finis eſt honeſtus: & contra voluntatem pravus ille motus inſurgit. Ita docent *Navar. c. Si cui, de pænit. d.* 1. *nu.*15. *Manuel* 1. *tom. ſum.* 2.*edit. cap.*203. *num.*2.

4 Secundum ſuppoſitum eſt. Delectatio venerea in oſculis, & amplexibus; aliiſque tactibus captata, eſſe poteſt in duplici differentia. Quædam eſt delectatio venerea ipſius copulæ. Et tunc conſtat inter omnes eſſe peccata lethalia tactus ob eam delectationem habitos inter ſolutos: ſicut, & ipſam copulam. Altera autem eſt delectatio ſenſibilis, venerea, & libidinoſa ex ipſis tactibus conſurgens, ſiſtendo in ea, nec intendendo copulam, nec illius voluptatem. Et de hac eſt ſpecialis difficultas, an efficiat oſcula, & amplexus, quæ de ſe indifferentia ſunt, culpam lethalem eſſe.

5 Dicitur autem delectatio venerea, ſeu libidinoſa, quæ in ipſa carne ſentitur, ut docet *Cajet. ſum. v. Impudicitia, ſtatim in princ. & ibi Armilla n.*1. Quod clarius explicat *Tabiena v.Cogitatio, qu.*8. *n.*9. *poſt medium*, dicens tunc contingere, quando ſentitur in carne, cum commotione ſpirituum ſubſervientium generationi circa partes libidinoſas. Ad differentiam ejus delectationis, qua placet tactus, aut viſus proprii corporis, vel alieni, ſine ulla libidine, ob ſolam proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus, aut viſus, Sicut tactus rei blandæ, & viſus rei pulchræ organa viſus, & tactus naturaliter delectant.

6 Conſiſtit ergo difficultas in hoc, an oſcula, & amplexus feminæ a viro habita, ob ſolam veneream, & ſenſibilem delectationem ex ipſis conſurgentem abſque alia ſiniſtra intentione, ſint culpa lethalis? Quidam enim id negant. Ducuntur primo. Quoniam *D.Paulus Epheſ.*5. ubi cavendam præmiſerat fornicationem, avaritiam, & turpitudinem, ſubdit hæc: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet, hæreditatem in regno Chriſti*. Ubi dum ſignificavit prædicta eſſe lethalia, dicens ea a Chriſti regno excludere: ſubticuit turpitudinem, cætera commemorans: cenſuit ergo non eſſe peccatum lethale. Nomine autem turpitudinis, amplexus, & oſcula comprehendi, teſtatur *gloſſ. interlinearis ibidem*. Secundo, quia *D. Th.* 2.2. *qu.*154. *art.*4. *in fin. corporis*, appellat tunc amplexus, & oſcula libidinoſa, & dicit eſſe lethalia, cum ad delectationem copulæ experiendam referuntur. Atque ita tactuum malitiam mortalem reducit in moroſam delectationem de copula captatam. Et clarius id docet de veritate *q.*15. *in fin. corp.* his verbis: *Simpliciter concedimus conſenſum in delectationem fornicationis, vel alterius mortalis, eſſe mortalem. Ex quo ſequitur, quod quidquid homo agit ex conſenſu talis delectationis, ad hoc ut hujuſmodi delectationem nutriat, aut teneat, ſicut ſunt turpes actus, aut libidinoſa oſcula, vel aliquid hujuſmodi, totum eſt mortale*. Tertio, quia ſi oſcula, & amplexus propter ſolam illorum delectationem habita, ideo ſunt mortalia; quoniam ad fornicationem ſuapte natura referuntur, quamvis ea exercens minime illam ſpectet, nequaquam erunt ex ſe indifferentia, ſed intrinſece mala. Quod omnes negare diximus num.2. Et confirm. quia bonitas, vel malitia rei de ſe indifferentis pendet ex fine, quem operans ſpectat. Cum illa ſuapte natura ad bonum nec malum referri poſſit: atque in hoc conſiſtat eam indifferentem eſſe. Ergo dum operans non refert ad fornicationis delectationem, oſcula, & amplexus, non eſt dicendum ea eſſe mortalia: eo quod ad illam ex ſe dirigantur. Quarto, quia fornicatio ideo eſt mala, quo adverſetur bonæ prolis educationi. Quod cum in amplexibus iis, & oſculis non reperiatur, minime fornicationis malitiam participabunt. Quinto, quia videtur delectatio hæc modica in genere luxuriæ, atque ita ratione parvitatis materiæ excuſari a mortali. Nam licet ſit ejuſdem rationis cum ea, quæ ex copula præcipitur, at multo minor eſt. Sexto, quia delectatio naturaliter conſequitur actum, & eſt ejuſdem malitiæ. Cum ergo ſubſtantia tactuum non ſit ex ſe peccatum, nec delectatio conſequens illam erit. Et confirmatur. Quia objectum non efficitur malum propter delectationem, ſed ideo eſt mala, quod verſetur circa malum objectum. Teſte *Philoſopho* 10. *Eth.* Ergo tactus, qui ea delectatione ſecluſa mali non ſunt, ratione delectationis non erunt lethales. Sed potius quia tactus non ſunt de ſe mortales, neque ea delectatio talis erit. Atque ideo hujus ſententiæ ſunt *Mart. de Magiſtris tract. de temperantia quæſt.*3. *de luxur. Umbert. in expoſit. reg. D.Auguſt. Gabr. lect.*74. *in canon. Miſſæ*, *lit. E. verſ.Utrum duplicia ſunt. Javellus lib. de phil. Chriſtiana* 2.*p. tr.*7. *cap. de impudicitia, nu.* 10. Et quidam Neoterici ( ut refert *Tab. ver. Cogitatio, quæſt.*8. ) Et quidam Doctores Hiſpani, ( ut refert ſe intellexiſſe *Navar. cap.Si cui, de pænit. d.*1. *num.*15. ) & clare cenſet eſſe probabilem *Sot.* 4. *d.*34. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad fin. verſ.Ex quo fit*, ubi oppoſitam ſententiam appellat veriorem, quaſi ſupponens hanc eſſe probabilem: ſed non ita certam, ac contrariam. Ejuſdem ſententiæ videntur *D.Ant.* 3.*p. t.*16. *c.*1. §.10. *notab.*1. dicens tactus cum fuerint ex libidine, & amore carnalis luxuriæ, eſſe mortales. Et *Nider in ſua ſumm. præcept.*6. *cap.* 2. *ad fin verſ Secundo principaliter*: dicens eſſe lethales, cum ſunt libidinoſi, & ea intentione, ut in ſe, vel in muliere excitetur concupiſcentia. Et *Margarita confeſſ.* 6.*præcept. fol.*90. dicens oſcula, & amplexus habita ex laſcivia, eſſe mortalia, & tunc id contingere, quando habentur, ut ſequatur pollutio, vel



vel cum periculo. *Viguer. l. inſtit. cap.*7. §.5. *verſ.*7. *ad fin.* dicens eſſe mortalia ob intentionem corruptam, ſicut & aſpectus. Juxta illud *Matth.*5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Et *Manuel* 1.*t. ſum.* 2.*edit. c.*203. *n.* 2. dicens oſcula tunc eſſe mortalia, quando diriguntur ad actum carnalem, vel libidinoſum.

7 Prima concluſio ſit. Tanquam veriſſima ſententia tenenda eſt, amplexus, & oſcula habita inter virum, & feminam omnino ſolutos lege matrimonii, & ſponſalium inter ſe initorum, propter ſolam delectationem ſenſibilem in appetitu ſenſitivo conſurgentem ex ipſis, quamvis nec de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur, eſſe peccata lethalia, Prob.1. quia *D.Paul. Eph.*5. numeratis fornicatione, turpitudine, & immunditia, dicit immundos excludi a regno Dei: Ubi *Lyra ſuper verb.Omnis immunditia*, dicit nomine immunditiæ claudi omnia ad luxuriam pertinentia. Et *ad Gal.*5. ubi præmiſit eſſe opera carnis, immunditiam, impudicitiam, ſubdit hæc: *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Ubi *Lyra ſuper v.Impudici*, ait nomine impudicitiæ includi aſpectus, & tactus. Quod autem excludere a regno ſignificet culpam lethalem, feraturque in omnia ibi enumerata, videntur dicere *D. Auguſt. D.Chryſ. D. Ath. D.Iren. ibi*. Et 2. *Cor.* 12. *Lugeam multos, qui non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, fornicatione, & impudicitia*. Ideſt, oſculis, & tactibus ut exponit *D.Th.* 2.2. *qu.* 154. *art.*1. *ad* 5. Secundo, quia *D. Amb. in id Paul.* 1. *ad Theſ.* 5. *Salutate fratres in oſculo ſancto*, hæc ait, *Sancta oſcula ſunt in ſalutatione Chriſtiana, cetera carnalia ſunt. Quia quidquid ſine Chriſto fit, carnale eſt, ac per hoc mortale*. Et *Cyp. lib.*1. *Eph.* 9. *ad Pom. de virg.* & refertur *c.Nec aliq.*27. *qu.*1. ſic inquit, *Certe ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio, quantum dedecoris, & criminis confitentur*. Ubi hi Sancti expreſſe videntur docere, amplexus, & oſcula eſſe mortalia, ubi in eis amor caſtus deſideratur, Tertio, quoniam amplexus, & oſcula, ob delectationem habita, ſuapte natura, & intrinſece ordinantur ad copulam, tanquam circumſtantiæ illius. Quod vel ex eo conſtat, quod prædictis tactibus, utantur bruta, dum ſe ad coitum præparant; naturaque in eis voluptatem ſicut in coitu appoſuerit, ac inſtar illius immutent corpus, ipſumque delectent. At circumſtantiæ intrinſecæ actus, participant eamdem ipſius malitiam. Et confir. Nam hi tactus, multo viciniores ſunt copulæ, quam delectatio moroſa ipſius copulæ cogitatæ, Quam tamen conſtat eſſe mortalem, Quarto, quia amplexus, & oſcula ſuapte natura proxime ſubſerviunt copulæ, & notabiliter excitant vehementem corporis, & ſpirituum generationi miniſtrantium commotionem, Quare talis delectatio eſt inchoatio copulæ carnalis. Quinto, quia adeo turpia reputantur amplexus, & oſcula, ut multi non improbabiliter exiſtiment ea ſufficere, ut legatum relictum uxori caſte vivendi deperdatur ( ut retuli lib.7. diſp.91, n.38. ) Sexto, quia in tantum cenſentur oſcula impudica, ut ex eis probetur adulterium, ( ut cum *Baldo, & multis aliis relatis*, tradit *Maſcard. de probat. concl.*64. *a n.*1. *uſque ad* 5. ) Sunt ipſius adulterii pars. Ut cum *Tullio, & Andr. de Iſernia* tradit *Greg. Lop. lib.*1. *verſ.Conſejar, t.*14. *qu.* 2. Tandem, quia prohibita fornicatione per ſextum decalogi præceptum, cenſentur prohibiti hi tactus, qui ſunt media ad illam. Nam interdicta re aliqua, cenſentur interdici omnia per quæ ad eam devenitur, *l.Oratio, ff. de ſponſ.* Et ideo hujus ſent, ſunt *D.Th. de malo qu.* 15. *ar.*2, *ad* 18. ( & quamvis in aliis locis lubrice loquatur, atque ita n.præc. formavimus 2.arg. ex ejus dictis, pro contraria ſent. At n.20. in illius ſolutione oſtendemus idem ſenſiſſe illum in eis locis, ) *Pal.*4. *d.*31. *qu.*3. *art.*2. *nu.*17. *Et ibi Supplem. Gabr. qu.un. art.*3. *dub.*2. *Vinc. in ſpec. doctr. t.* 3. *l.*3. *d.*2. *p.*9. *verſ.Circa tertium. Abul. c.*5. *Matt. qu.*197. *Gerſon* 2.*p. opuſc. tripartito præcept. Decal. c.*13. *alphab.*31. *fin. Et regulis moral. c.De luxuria, alphabet.*24. *lit.T. Caietan.* 2. 2. *qu.*154. *art.*4. *dub.*1. *Et opuſc. t.* 1. *tr.* 14. *de delectatione moroſa, dub.*3. *& ſumm. v.Delectatio*, §.*Secundum an delectatio, in fine & v. Impudicitia, & v.Oſculum. Roſella v.Delectatio, n.*3. *Tabien. v.Cogitatio, qu.* 8. *n.*9. *ad fin.* dicens eſſe de fide, *& v.Oſculum, nu.un. ad medium. Armil. v.Impudicitia, nu.*1 *& v. Oſculum, nu.* 1. *Sot.* 4. *d.*34. *qu.*1. *art.*2. *ad fin. verſ.Ex quo fit. Navar. c.Si cui, de pænit. d.*1. *n.*9. *&* 15.*ſum. cap.... n.*11. *Angl. Florib.* 7.*p. qu.*8. *de imp. matrim. art.*1. *dub.*9. *concl.* 1. *Cordub. ſumm. qu.*2. *punct.*4. *& qu.*190. *& ſuper Sotum de ſecretó, membr.*2. *qu.* 2. *circa* 1.*concl.* ubi oppoſitum appellat erroneum, *Nieva ſumm. t.*87. *Hieron. de Zenetinis tr. de foro conſcientiæ, & contentioſo, n.*139. habetur tom.3. tr. p.2. *Nider ſum. præc.*9. *cap.*4. *dupl. pag. ante fin. verſ.Quarto etiam hic prohibetur. Alcozer ſumm. c.*20. *fol.*71. *pag* 2. §.*Mirar mugeres. Pedraza*, licet non ita clare, *ſumm. præcept.*6. §.1. 5. *&* 20. *Jo. de Burg. in pupilla oculi, p.*10. *c.*4. *Metina l.* 2. *ſum. c.* 14. §.18. *fol.*118. *pag.*2. *&* 1. 2. *qu.*74. *ar.*8. *dub.*5. ubi & *Vaſq. diſp.*109. *n.*5. *Val.* 22. *diſp.*9. *qu.*3. *punct.*3. *ad fin.* §.*Si autem ejuſmodi tactus Nav. referens Baltanas*, & dicens oppoſitum eſſe falſum, & forte temerarium, *l.* 2. *de reſtit. c.*4. *dub.*5. *inter ea quæ proponit*, agens de peccato quod detractores admittunt *in nova edit. n.*183. *& ſeq.* at in *priori edit. n.*319. *Jo. Heſſeles in expoſ. Decal. præc.* 6. *c.*14. *duplici pag. ante fin. Phil. de offic. ſacerd. t.*1. *p.*2. *l.*4. *c.*18. *dub.*3. *Bart. Led. dub.*18. *de matr. fin. & dub.*12. *pœnit. interrogationib. circa* 6.*præc. Graf.* 1.*p. deciſ. l.*2. *c.*75. *num.*10. Et eamdem ſent. docent, licet non ita clare, alii DD. dicunt enim oſcula, & amplexus ex libidinoſa delectatione habita, eſſe lethalia: non explicant tamen quando dicatur libidinoſa delectatio. Hi ſunt *gl. clem. fin. v.Septimo, de hæreticis, & ibi Abbas ad fin. Cardin. ſuper eo ver.Septimo, ſtatim in princ. Imola ibi n.*17. *Bonif. n.*88. *Paulus ibi Alberic. in ſuo diction. v.Luxuria eſt multiplex. D.Ant.* dicens cum Ulderico, contrarium eſſe hæreticum 2.*p. t.*5. *cap.*1. §.9. *Ang. v.Luxuria, fine Sylv. v.Delectatio, q.*3. *&* 4. *Tab. v.Delectatio, q.pen. Turrec. c.Hoſpitiolum, ar.*2. *n.*6. *d.*30. *Alvar. Pelag. de planctu Eccleſ. l.* 2. *art.* 52. *in* 7. *errore Begardorum, Emm. Sa ſumm. v.Luxuria, verſ.Oſcula.*

8 Atque a fortiori dicendum eſt, oſcula, & amplexus inter perſonas ejuſdem ſexus habita ex prædicta delectatione venerea, quæ ex ipſis ſentitur, eſſe peccata mortalia: ut inter duos viros, aut duas feminas. Quia ad longe pejorem concubitum ordinantur. Sic *Gerſon* 2.*p. opuſ. triport. de præcept. Decalogi, c.*13. *alph.* 31. *fin. Nieva ſum. t.*87. *Graffis* 1.*p. deciſion. l.*2. *c.*75. *nu.*10.

9 Moderatio tamen illa, quam *Armilla v. Impudicitia, nu.*1. *& Nav. c.Si quis, de pænit. diſt.*1. *n.ult. Sot. de doctrina Chriſtiana, f.*26. aſſerunt de parvitate materiæ, ob quam a mortali excuſant ejuſmodi tactus, etſi nobis aliquando non diſplicuit, re tamen bene conſiderata, rationibuſque perpenſis, tanquam certiſſimum tenendum judicamus, nullam reperiri parvitatem materiæ in delectationibus venereis, ſecluſo etiam pollutionis, & conſenſus periculo in aliquid hujuſmodi: quod latiſſime, & optime probat *Robellius de juſt. p.*2. *l.*3. *qu.*19. noſque Deo auſpice, latius alibi tractabimus, & probabimus.

10 Secunda concluſio. Si amplexus, & oſcula, & tactus hujuſmodi non omnino turpes, & impudici, ſolum habeantur joco cauſa vanitatis, vel levitatis, vel alia ſimili, abſque delectatione venerea, etſi inde conſurgat, ea repreſſa, non excedunt culpam venialem. Quia cenſetur parvitas materiæ, cum abſit delectatio venerea. Sic *Cajet. ſum. v. Impudicia. Nav. ſum. Hiſp. c.*16. *n.*12. *& c.Sicut, de pænit. d.*1, *n.*11. *Graff.* 1.*p. deciſ. l.*2. *c.*75. *n.*60. Et idem dicit *Navar. ſum. lat. c.*14. *n.* 42. *verſ.* 19. de tactu mamillarum feminæ habito a viro jocoſe, & abſque alia prava delectatione. Quia turpiores tactus ſunt oſcula, & amplexus, ut docet *Greg. Lop. l.*1. *v.Conſejar, t.*14. *p.*2. Quod bene intelligit *Nav. eod. c.* 14. *num.*42. *verſ.*19. dummodo ſint tactus illi inter perſonas, quæ in ſe ad peccatum mortale non incitentur.

11 Conſulto autem dixi in concluſione, tactus, qui non omnino turpes ſunt, & impudici: nam tactus impudicos, ut partium vicinarum verendis, vel ipſarum verendarum, nunquam excuſarem a mortali abſque neceſſitate habitos inter perſonas diſtincti ſexus: ut inter virum, & feminam. Quia ex natura rei ad delectationem veneream tendunt, illamque valde excitant. Et licet a tangente ad eam non referantur, ſed ad coitum: ſunt tamen valde contrarii honeſtati naturali: maximamque indecentiam præſeferunt. Atque ita quamvis DD. admittant tactus alios inter ſponſos de futuro, excipiunt tamen impudicos, ut n.51. dicemus. Et ſimiliter licet DD. admittant feminam dubiam de mala tangentis intentione, poſſe aliquando permittere amplexus, & oſcula: at tactus impudicos numquam admittunt extra urgentis neceſſitatis caſum, ut poteſt videri in *D.Ant.* 2.*p. t.*5. *c.*1. §.9. *Roſella, v.Delectatio, n.*3. *ibi Sylv. q.*4. & in multis aliis, Tandem, quia inſpicere mulieris pudenda ex curioſitate, eſt mortale, ut dicemus n.24. propter maximam indecentiam, & ſummum periculum, At indecentius, & majori periculo expoſitum eſt ea tangere. Atque ita *Nav. ſum. lat. c.* 14. *nu.*42. *verſ.*18. dicens amplexus, & oſcula, & alios tactus joco habita, vacare culpa mortali, excipit impudicos tactus. Poteſt tamen hoc temperari, niſi tactus ille pudendorum ſupra veſtes haberetur, non intenta delectatione conſurgente ex tactu mediato cogitato, ſed levi quadam ex tactu immediato. Quia hæc delectatio ex ſuo genere non eſt tanta, nec tam propinqua copulæ: ut reputanda ſit materia gravis.

12 Hinc infertur, a fortiori eſſe mortale, ſi perſonæ ejuſdem ſexus, ut ſi vir viri, aut femina feminæ pudenda tangant, ob delectationem veneream ex eo tactu conſurgentem. Quia tactus illi ad ſodomiam pertinent, ut quædam illius inchoatio. Deinde, quia licet aſpectus inter perſonas ejuſdem ſexus non ſit ita turpis, ac inter diverſi: at id oritur ex eo, quod aſpectus non ita ordinetur ad coitum, illumque inchoet: nec ita participet illius malitiam. Dixi autem ob delectationem veneream. Quia ſecus eſſet, ſi ex quadam levitate, & joco, abſque animo turpi tactus ille haberetur. Ut ſolet pueris evenire joco pudenda arripientibus. Quia deficit animus libidinoſus: nec tanta verſatur indecentia, & inhoneſtas, ac inter perſonas diverſi ſexus.

13 Secundo infertur, non eſſe mortale peccatum, nec ſæpe veniale, exoſculari, affectuoſe, & magna cum ſuavitate molles infantium carnes. Quia id non ex venerea delectatione oritur, ſed ex amore tenero, & ſuavi infantilis ætatis. Alias innumeri parentes, & nutrices damnarentur, Et ita *Navar. ſum. Hiſp. c.*16. *n.*11. excuſat tangentes hujuſmodi pueros.

14 Tertio infertur, eſſe mortale propria verenda tangere venerea delectatione ex eo tactu orta, Quia tendit ad molitiem. Sic *Armill. v.Impudicitia, n.*1. Secus de tactu ex curioſitate, aut levitate, aut gratia manus calefaciendi, abſque libidine, & pollutionis periculo. Quia deficit animus libidinoſus, nec intervenit ea turpitudo, & inhoneſtas, quæ in tactu alieno.

Ulti-

15 Ultima concluſio. Tactus leves, ut manum feminæ pedem vel brachium premere, vellicare, digitos intorquere non ſunt communiter peccata mortalia, ſed venialia. Quia communiter ex levitate quadam, jocoque, & non libidine procedunt. Sic *Cajet. 2.2. q.154. ar.4. circa ſolutionem ad 2. immediate ante ultimum dubium, & ſumm. v.Chorea, in fin.* ubi *Armilla nu.2. Tabiena v.Oſculum, n.un. paulo poſt medium. Nav. ſumm. lat. c.14. nu.42. verſ.19.*

16 Dubitabis autem, num ii tactus leves habiti ob captandam delectationem illam, quæ ex ipſis oritur, ſint peccata lethalia: ut diximus n.7. eſſe amplexus, & oſcula, affirmant *Cajet. 2.2. eod. ar. 4. & Tabiena n.præc. allegati*. At durum mihi videtur. Quamvis enim id affirmarim de tactibus illis gravioribus, eo quod vehementius ad coitum incitet delectatio ex illis captata, imo ſit quædam coitus inchoatio. At alii tactus ſunt tam leviter turpes, ut excuſent a mortali propter materiæ parvitatem, etiamſi intendatur delectatio ex illis reſultans. Quia ea delectatio venerea modica materia eſt ad conſtituendam culpam mortalem (ut n.9. dicebamus.) Alias nulla eſſet differentia inter hos tactus leves, & inter amplexus, & oſcula. Hæc enim ex levitate, & joco habita, venialia eſſe dixi n.10. Et ita *Nav. n.præc. alleg.* mitius videtur loqui. Tunc enim tactus hos leves de culpa mortali damnat, quando finis alius mortalis intenditur. *Armill. v.Chorea, n.2.* quando finis eſt ſe, vel alium ad libidinem provocandi.

17 Ex dictis infertur, in tactibus libidinoſis, quando juxta prædicta ſunt lethales, fatendas neceſſario eſſe circumſtantias perſonarum agentis, & patientis, ſicut in copula ipſa. Ut ſi tangens, vel tactum patiens ſit matrimonio, aut voto aſtrictus, ſi ſint conſanguinei. Quoniam ejuſdem ſunt malitiæ mortalis, cujus eſt actus conſummatus copulæ, ad quam ſuapte natura referuntur, quamvis tangens, eam minime intendat (ut n.7. probavimus.) Sic *Abulenſis c.5. Matt. q.197. Cajet. 2.2. q.154. art. 4. dub.1. §. Ad evidentiam horum, & ſumm. v.Impudicitia,* ubi *Armilla nu.1. Tab. v.Oſculum, n.un. paulo poſt medium. Cord. ſum. q.2. punct.4. & q.190. Navar. l.2. de reſtit. c.4. dub.5. ex illis, quæ proponit circa peccatum, quod admittunt detractores, in nova edit. n.183. in antiqua* vero *n.318. Bart. a Led. dub.28. de matr. fin. Alcozer ſum. c.20. fol.74. pag.1. §. Iſtas circumſtantias. Margarita Confeſſorum 6. præcepto fin. Heſſels in expoſ. Decalog. 6. præcept. c.14. ad fin.*

18 Rurſus hinc deducitur, audiendos non eſſe quoſdam Neotericos, qui dicunt nullum actum luxurioſum conjugis, in quo non ſit ſeminis effuſio, nec ex vi actus pertinere ad adulterium, nec habere circumſtantiam matrimonii neceſſario explicandam in confeſſione. Ut ſi vir ſolutus abutatur ſodomitice muliere conjugata. Vel vir conjugatus patiatur contra naturam acceſſum ſoluti. Quia conjuges ratione matrimonii minime obligantur niſi ad ſeminis redditionem, & primo, & per ſe dominium unius in alterius corpus eſt ſupra ſemen, per cujus commiſtionem efficiuntur una caro, & generationi vacant, quæ eſt potiſſimus matrimonii finis. Ergo quoties non eſt diſpendium ſeminis obligati, minime fit contra juſtitiam matrimonii. Et confirmant. Quia conjuges non habent mutuum dominium corporis utcumque (Alapa enim cædens alterutrum non irrogat matrimonio injuriam) ſed ſolum dominium ſuorum corporum habent in ordine ad generationem. Ergo in actibus ubi non eſt aliquis abuſus ſeminis conjugati, nec membri, aut vaſis ipſius ad generationem ordinati, nequaquam erit adulterium. Sed audiendi non ſunt: quia adverſantur Doctoribus n. præc. allegatis. Item quia fides matrimonii integrum corporis dominium tradit quoad copulam conjugalem, & omnia ad illam ordinata: & obligat ad abſtinendum ab omni actu venereo cum alio: eo quod de ſe ad copulam adulterium referatur. Imo & mentem in alium minime collocare aſtringit, ut recte docet *Vaſq. 1.2. q.74. art.8. diſp.112. fin.* Et quamvis dicat hoc non ſibi admodum certum eſſe: non obſtat. Id enim ait, quia cenſet ibi delectationem moroſam non ſemper habere eaſdem circumſtantias, ac copulam de cujus cogitatione captatur. Nec obſtant argumenta illorum; quia non ſolum ſeminis, ſed actuum, qui ordinantur ad copulam, & ſunt illius circumſtantia, habent conjuges dominium. Nec eſt ſimile de alapa inflicta conjugi, cum ad hos actus minime pertineat.

19 Tandem ad argum. n.9. propoſita reſp. Ad primum dic, cum *D.Th. 2.2. q.154. ar.4. ad 1. & Cajet. ibi, dub.1. §. Ad 2. dicitur,* ideo non repeti, quia hæc ut ſunt peccata mortalia, pertinent ad eamdem fornicationis ſpeciem: atque ita includuntur ſub fornicatione repetita. Ad 2. dic, cum *Cajet. ibi D.Thomam* explicare malitiam mortalem illorum tactuum, quod delectatio illorum, vel ab ipſo tangente, vel ex natura ſua ad fornicationis delectationem dirigatur. Quare licet tangens non dirigat, ſed in illa ſiſtat, adhuc erit mortalis, propter ordinem intrinſecum ad copulam. Ad 3. dic, illos tactus ex ſe indifferentes eſſe, & ideo minime ordinari ad fornicationis delectationem. Secus de iiſdem tactibus habitis ob delectationem veneream ex ipſis conſurgentem. Non enim tunc ſunt indifferentes inter omnino ſolutos, ſed intrinſece mali. Ad confirm. reſpondeo, ita hic contingere. Non enim illi tactus ſunt mortales ob delectationem naturalem ipſorum, quatenus indifferentes ſunt. Hæc enim eſt ea, quæ ſentitur ex contactu rei organo ſenſus proportionatæ (ut n.5. explicui.) Sed ſunt mortales; quia tangens acceptat delectationem ſenſibilem, & veneream, conſurgentem, quæ ſuapte natura ad copulam tendit. Ad 4. dic, ſatis eſſe ut malitiam copulæ participent, ad illam ordinari, & ſubinde ut damnum illud proli inferatur. Ad 5. dic, non eſſe modicam, licet minor ſit delectatione ipſius copulæ. Valde enim corpus immutat: ac ſpiritus generationi ſubſervientes commovet. Delectatio vero conſurgens ex tactibus leviter turpibus, pertinebit ad materiæ parvitatem: ut nu.16. explicuimus. Ad 6. dic, convincere delectationem, quæ naturaliter conſequitur tactum, non eſſe malam. Secus de delectatione venerea. Ad confir. reſpondeo, delectationem conſiſtentem intra limites objecti ſumere ab illo malitiam: ſecus quando eos limites prætergrediens tranſit ad aliam delectationis ſpeciem, nempe, luxuriæ ordinatæ ad copulam. Tunc enim ſumit malitiam a ſpecie, in quam tranſit.

*S U M M A R I U M.*

*An aſpectus turpes, ſiſtendo in eorum delectatione ſint peccatum mortale inter omnino ſolutos. Refertur quædam ſententia, n.20.*
*Communiter non ſunt mortales. Et approbatur diſtinctio inter viſum, & tactum, 21.*
*Quid, ſi ſint valde inhoneſti, ut partium verendarum, 22.*
*Quid, ſi brevi durent, vel ſint inter perſonas teneræ, aut ſenilis ætatis, vel valde frigidas, 23.*
*Quid, ſi verenda tenuiſſimis, & diaphanis operiantur veſtibus, 24.*
*Quid, de aſpectu crurium, pectoris, brachiorum feminæ, 25.*
*Quid, de aſpectu verendorum inter perſonas ejuſdem ſexus, n.26. ubi de aſpiciente natantes in flumine.*
*Quid, de aſpectu propriorum verendorum, 27.*
*Quid, de aſpectu concubitus viri, & feminæ, 28.*
*Quid, de aſpectu concubitus beſtiæ, 29.*
*An in peccato aſpectuum ſint fatendæ circumſtantiæ, ac in ipſa copula, 30.*
*Poſt num.30. invenies alia ſummaria.*

20 QUæſtio ſecunda. An aſpectus turpes gratia delectationis quæ ex ipſis captatur, in ea ſiſtendo, habiti ſint peccata mortalia? Sicut de tactibus diximus n.7. Quidam nullam diſtinctionem ponunt inter viſum, & tactum: atque ita dicunt ſimiliter eſſe mortales aſpectus objecti turpis ob delectationem ex ipſis conſurgentem, licet nil aliud intendatur. Ut ſi vir feminam ſic aſpiciat, vel e contra. Quia quamvis tactum magis conſequatur delectatio venerea, quam viſum, at ſæpe etiam conſequitur viſum. Quod ſignificavit Dominus *Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Quod etiam ſignificavit *D.Aug. ſer.3. de communi vita clericorum, & ep.109. ad Monachos,* & refertur *c.Nec ſolo 32. q.5.* ibi: *Nec ſolo tactu, ſed affectu quoque appetitur, & appetit femina.* Pro hac ſententia ſunt *Gloſſ. clem. fin. de hæretic. v. Septimo, & ibi Abb. ad fin. Card. ſuper eo v.ſtatim in princ. Imola ibi, n.17. Alberic. in ſuo dict. v. Luxuria, verſ. Luxuria eſt multiplex. Hier. de Zenetinis in tr. de foro conſcientiæ, & contentioſo, n.139.* (habetur t.3. tr. p.2.) *Abul. cap.5. Matth. qu.197. D.Ant. 3.p. t.16. c.1. §.10. notabil.1. Tab. ver. Delectatio, qu.pen.* ubi *Sylv. q.4.* qui omnes eodem modo loquuntur de aſpectu, & tactu: atque ita utrumque dicunt eſſe mortale, ſi animo libidinoſo habeantur. Et in propriis terminis docent *Gerſon 2.p. reg. moralib. c de luxuria, alph.24. lit.T. Angel. v.Luxuria n.2. Suppl. Gabr. 4. d.31. q.un. ar.2. dub.2. Tab. v.Cogitatio, q.8. n.9. Armill. v.Impudicitia, n.1. Nav. c.Si cui de pœnit. d.1. n.9. & Graffis 1.p. deciſ. l.2. cap.75. n.10. & c.78. n.16. Jo. Heſſels in expoſit. Decalogi in 6. præcept. c.14. ad fin.* Et ſpecialiter *Nav. & Armil. ibid.* impugnant diſtinctionem inter aſpectum, & tactum. Et fatetur *Nav.* viſum eſſe minus periculo libidinis expoſitum, atque ex pluribus cauſis poſſe eſſe licitum, aut venialem, quam tactum. Si autem abſit prædicta delectatio, & ſola vanitas, aut levitas ad aſpectum inducant: erit ſola culpa venialis. Quod fatentur *D.Ant. 2.p. t.4. c.1. Nav. ſum. c.16. n.11. Armilla v.Delectatio, n.5. Graffis utroque loco proxime citato.*

21 Ceterum quamvis hoc ſatis probabile ſit: magis placet diſcrimen eſſe inter viſum, & tactum: Quod hic ſuapte natura ordinetur ad concubitum, ac proinde conſentire in delectationem ſenſibilem ipſius ſit quaſi quædam copulæ inchoatio, & conſenſus in delectationem copulæ, & peccatum lethale. Ille vero non ordinetur ita ad venerea, & proinde ejus delectatio, non ſit communiter venerea, & ſolum peccatum veniale: niſi aſpiciens ad alium malum finem ordinet. Præterea, quia delectatio ex viſu conſurgens non eſt tanta, nec ita appetitum ſenſitivum excitat, ut non poſſimus dicere pertinere ad parvitatem materiæ delectationis venereæ, (de qua n.5. egi) ac proinde excuſari eam a culpa lethali. Sicut de voluptate captata ex tactibus leviter turpibus, diximus n.16. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent *Cajet. ſumm. v.Impudicitia, & v.Delectatio, §. Secundum an delectatio, in fin. Et opuſc. t.1. tr.14. de delect. moroſa, dub.3. Nav. ſum. c.16. n.11. Metina 1.2. q.74. ar.8 dub.5. Phil. de offic. ſacerd. t.1. p.2. l.4. c.18. dub.3.* & videtur clare ſentire *Alcozer in ſum. c.20. fol.71. pag.2. §. Mirar mugeres* ubi poſtquam dixit aſpectum mulierum eſſe communiter venialem, ceſſante fine, & periculo peccati mortalis: ſubjunxit tactus ob ſolam delectationem eſſe mortales. Ubi clare diſcrimen inter viſum, & tactum conſtituit.

Hoc



22 Hoc tamen intellige, niſi aſpectus ſit valde turpis. Nam abſque urgenti neceſſitate virum conſpicere verenda feminæ, aut e contra, mortale eſt, quamvis non ex libidine fiat, ſed ex indiſcreta mortificatione, aut curioſitate. Quia valde honeſtati naturali adverſatur: adeo ut primi parentes cum eſſent conjugii vinculo inter ſe conjuncti, erubuerint ſe nudos aſpicientes, & proinde fecerunt ſibi perizomata (ut dicitur *Geneſ.3.*) ideſt, cingulum & velamen pudendorum, ut indicant *D.Auguſt. ſuper Geneſ. ad lit. c.32. t.3. D.Greg. lib.26. mor. c.12. D.Ambr. de paradiſ. cap.13. Lyra Gen.3.* Deinde, quia aſpectus talis eſt urgentiſſimus luxuriæ ſtimulus, & graviſſimo illius periculo expoſitus. Quod lapſus ſanctiſſimi Davidis *2.Reg.11.* recte ponderatus a *D.Auguſt. tr. de honeſt. mulierum c.1. ſuper Pſal.50.* mirum in modum demonſtrat. Ita ſentiunt *D.Ant. 2.p. t.5. c.1. §.7. Roſell. verb. Delectatio, nu.5. & ibi Sylv. q.6.* loquentes quando non libidinis, ſed mortificationis cauſa ad flagella patienda efficit vir mulierem veſtibus ſpoliari coram ſe. Et *Sylv.* ſubdit non improbans, videri, *D.Anton.* ſentire idem, ubi ſola curioſitatis cauſa. Et *Nav. ſumm. latin. c.14. n.36. verſ.5.* loquens quando abſque cauſa juſta id efficitur: & *n.42. verſ.19.* quando joci cauſa. Atque idem credo, de partibus valde vicinis membris pudendis: ob eaſdem rationes.

23 Poteſt tamen hoc temperari, niſi ob ſolam curioſitatem, videat aliquis perſonam diverſi ſexus nudam, tam brevi tempore, ut non detur occaſio magnæ commotionis in tempore. Vel ſi ratione ætatis puerilis, aut ſenilis, aut frigidiſſimæ complexionis, ceſſet id periculum commotionis magnæ in aſpiciente.

24 Atque ſimiliter dicendum eſt, culpam eſſe lethalem, quando quis verenda alterius ſexus aſpiceret operta veſtibus ita ſubtilibus, ut parum aſpectui obſtent. Nam illæ veſtes ſemidiaphanæ quodammodo plus libidinem excitant, quam nuditas. Sic *Navar. ſum. lat. c.14. n.36. verſ.5.*

25 Ex dictis deducitur primum, inſpicere crura, brachia, vel pectora nuda feminarum, non eſſe de ſe mortale, ſecluſo alio periculo. Quoniam in his aſpectibus non eſt tanta inhoneſtas, nec adeo ad malum provocant. Atque ideo *Cajet. 2.2. quæſt. 169. art.2. dub.1. §. Ad objectionem, & in ſumm. v.Ornatus,* ubi *Armil. nu.1. Navar. ſumm. cap.23. Hiſpan. 23. num.23. latin. num.19.* excuſant a mortali feminam ita indutam, ut pectora nuda appareant. Et hos aſpectus non eſſe mortales, videntur tenere *Navar. ſumm. Hiſpan. c.28. addit. ad nu.1. cap.3. ad fin. §. la 14. latin. cap.3. nu.27. & Corduba ſumm. qu.4. coroll.7. f.26.* Cum enim præmiſiſſent quandam occaſionem non eſſe mortalem de ſe, atque ideo ab ea non recedentem poſſe abſolvi, ſervatis tribus conditionibus, ſubdunt idem dicendum eſſe de videntibus crura feminarum in fluvio lavantium, vel pectora. Et intelligo hoc quamvis adſit aliqualis delectatio ex eo aſpectu conſurgens, ceſſante alio periculo, vel mala intentione. Reputatur enim levis, nec ad venerem ordinata, ut dixi n.21.

26 Secundo deducitur, inter perſonas ejuſdem ſexus vacare culpa lethali, ſe nudas aſpicere. Ut contingit quando ſimul natant: vel verenda aſpicere dummodo abſit delectatio, quæ ex aſpectu tam turpi orta non eſſet levis, & periculum aliud. Quia inter eas non eſt tanta inhoneſtas, nec adeo grave lapſus periculum: nec aſpectus illi valde provocant ad luxuriam. Atque ita ſentit *Navar. & ipſum ſeq. Cordub. quos n. præced. retuli.* Quoniam inter occaſionem, quam videntur dicere non eſſe lethalem, ponunt aſpicere viros natantes. Quod intelligi debet, quando vir virum natantem, vel femina feminam inſpicit. Secus quando vir feminam, vel e contra. Juxta ea, quæ n.22. dixi. Et adhuc exiſtimo intelligendum, inter duos viros non eſſe mortale. Niſi ob vehementem propenſionem ad ſodomiam, adeſſet periculum conſenſus: vel ob perſonarum gravitatem, ſcandalum. Ut inter duos Epiſcopos. Nam graviter delinquerent contra decentiam ſuo ſtatui convenientem.

27 Tertio deducitur, non eſſe mortale, propria verenda inſpicere ex quadam curioſitate, abſque alia mala intentione, & periculo. Quia non eſt tanta inhoneſtas, & indecentia, ut culpæ lethali tribuenda ſit, ſed ſoli veniali.

28 Quarto infertur, eſſe mortale, inſpicere viri cum femina concubitum. Quia eſt proximum ruinæ periculum: & valde adverſatur honeſtati naturali, ac inhoneſtior eſt aſpectus, & magis ad luxuriam provocans: quam conſpectus nudæ feminæ, vel verendorum, quem etiam ſola curioſitatis gratia diximus n.22. eſſe mortalem.

29 Quinto deducitur, non eſſe communiter lethale, aſpicere brutorum concubitum, vel partes eorum fœdas turpiter commotas. Quia id nec ita inhoneſtum eſt, nec valde ad luxuriam provocat. At ſi inde in aſpicientem redundaret notabilis delectatio ſenſualis, eſſet culpa lethalis. Quia ea delectatio ſenſibilis indicat cogitari tunc ſimilem actionem, ut a propria perſona exercendam: & ita amari.

30 Tandem id monuerim, quoties aſpectus ratione delectationis notabilis venereæ, vel periculi eſt mortalis, fatendas eſſe circumſtantias perſonarum, ſicut in copula ipſa; ut de tactibus dixi n.18. Quoniam ordinatur ad coitum, ejuſque malitiam mortalem participat. Sic *Jo. Heſſels in expoſitione Decalogi, præcept.6. cap.14. ad finem.*



*S U M M A R I U M.*

*An verba turpia dicere, vel audire, ſit in ſolutis culpa lethalis. Refertur duplex ſent. n.31. & 32.*
*Turpia dicere, ſcribere, vel audire, non eſt intrinſece malum, ſed indifferens, 33.*
*Qualis culpa ſit, dicere, vel audire, vel canere turpia ob vanum ſolatium, 34.*
*Quid, ſi audientibus detur anſa ruinæ, 35.*
*Quid, de dicentibus aut audientibus verba amatoria, 36.*
*Quid, ſi audiens turpia rideat, & ſolatium præſeferat, 37.*
*Quando ſit mortale, dicere, canere, nutibus aut geſtibus turpia indicare, vel audire, 38.*
*Quid, ſi modica ſit delectatio, 39.*
*Quid, de audientibus comœdias licet ſint clerici, 40.*
*Quid, de turpes cantilenas, aut comœdias facientibus, aut repræſentantibus, 41.*
*Quid, de ſcribentibus, aut interpretantibus libros turpes, 42.*
*Quid, de pingentibus turpia, 43.*
*Quid, de legentibus turpia, 44.*
*An in verbis turpibus ſint fatendæ circumſtantiæ perſonarum, 45.*
*Poſt n.45. invenies cetera ſummaria, quæ deſiderantur.*

31 QUæſtio tertia. An verba turpia dicere, vel audire, ſit in ſolutis peccatum mortale *Cajet. 2.2. qu.148. art.6. fin. & q.160. art.3. dub.1.* ait geſtus, & verba turpia ſolum eſſe venialia, ſi nil aliud intendatur præter delectationem ex ipſis conſurgentem. Ducitur. Quia *D.Paulus ad Epheſ.5* cum inter ea, quæ Sanctos dedecent, ſtultiloquium numeraſſet: id eſt, turpia verba (ut ibi exponunt *D.Athan. & D. Chryſoſt. ibi.*) cum tamen a regno Dei excludit, omiſſo ſtultiloquio repetit alia vitia. Sed hoc parum probat, quia ſatis reſponſum eſt n.19. in ſolut. ad 1. Eamdem ſentent. tenet *Phil. de officio ſacerdot. t.1. p.2. l4. c.18. dub.3.* conſtituens differentiam hanc inter tactum, & loquelam, ut ille propter ſolam delectationem ſit mortalis: hæc autem non. Eamdemque differentiam videtur amplecti *Alcozer ſum. c.20. fol.71. pag.2. §. Mirar mugeres,* ubi ait, aſpectus, auditum, lectionem, verba turpia communiter eſſe culpam venialem, ceſſante fine, & periculo peccati mortalis. Et immediate ſubdit, tactus ob ſolam delectationem, eſſe crimen lethale.

32 Alii vero abſolute damnant de mortali delectationem de turpium locutione captatam, quamvis nil aliud intendatur. Ita *Gerſon 2.p. in reg. moral. c.de luxuria, alphab.24. lit.T. D.Anton. 2.p. t.5. c.1. §.8. Angel. verb. Luxuria, n.2. Tabien. v.Cognatio, q.8. n.9. Armilla v.Impudicitia, num 1. Navar. ſumm. c.16. n.14. Graffis 1.p. dec. l.2. c.78. n.12. & cap.76. n.8. Joan. Heſſels in expoſit. Decalog. 6. præcept. cap.14. ad fin. Supplem. Gabr. 4. d.31. qu.unic. art.3. dub 2.* idem dicunt de delectatione canticorum turpium *Nav. D.Anton. Graffis utroque loco citato.* Idem de nutibus turpibus cum delectatione, ajunt *Gerſon, & ſuppl. Gabr. ibid.* Idem de geſtibus turpibus ait *Graffis eo c.75. n.8.* Et denique idem docent de turpium auditione, cum prædicta voluntate, *D.Ant. Nav. Jo. Heſſels, Graffis utroque loco citato.*

33 Prima concluſio ſit. Verba turpia proferre, ſcribere, vel audire, non ſunt intrinſece mala, ſed indifferentia: ac proinde eorum honeſtas, vel malitia pendet ex circumſtantiis adhibitis, ac fine proferentis, ſcribentis, audientiſve. Probatur, quia cum verba vel ſcriptura ſint conceptus ſigna, in tantum erunt prava, vel honeſta, in quantum conceptus ſunt pravi, vel honeſti. At rei turpis cognitio indifferens eſt, poteſt enim bonum finem, ut ipſius malitiæ mortalis inveſtigationem, & malum, ut veneris fomentum, ſpectare.

34 Secunda concluſio. Turpia loqui ex quadam levitate, non gratia delectationis venereæ captandæ, ſed cujuſdam vani ſolatii, ob delectationem artificii, vel ob aliam vanam cauſam, eſt tantum veniale. Quia non apparet aliqua gravis inordinatio. Nec finis intentus, ex cujus malitia eſt metienda culpa, excedit limites venialis culpæ. Et in hoc eventu eſt vera ſententia n.32. propoſita. Et ita docent *D.Anton. 2.p. t.5. c.1. §.8. Navar. ſumm. lat. c.16. n.11. & c.14. num.42. verſ.18. Graffis 1.p. deciſ. l.2. c.75. n.9.* Idem dicendum eſt de cantione, auditioneque turpium, ac geſtibus turpibus effectis ob eamdem ſolam vanitatem. Quia eadem eſt omnium horum ratio.

35 Monuerim tamen verba illa turpia, cantiones, geſtuſve, poſſe per accidens eſſe peccata mortalia, ratione ſcandali aſtantium. Ut cum audientes ſunt ſpiritu debiles, & verba, aut cantica, aut geſtus, ſunt valde laſciva. Quia loquens credere debuit audientes inde inducendos ad culpam luxuriæ, ſaltem deſiderii, aut cogitationis. Nam verba turpia ex ratione ſua vehementer fovent venerem, ad eamque excitant. Unde *D.Athan. verb. D.Pauli Epheſ.5. Aut ſtultiloquium,* ait: *Præbens verba dat ad res ipſas ingreſſum.* Idem *D.Chryſ. ibi ſerm.16. D.Baſil. de legend. lugent. pag.2.* inquit ſic: *Pravis aſſueſcere ſermonib. via eſt ad rem ipſam.* Et denique *D.Aug. 1. confeſſ. c.16. Ariſt.6. Polit. c.ult.* tradunt ex turpiter loquendi licentia, ſequi turpiter facere. Atque ita docent *D.Anton. n.præced. alleg. & Nav. ſumm. c.23. Hiſp. n.131. lat. n.132.*

36 Hinc deducitur, loqui verba amatoria, quæ vulgo *requiebros* appellamus, ſecluſo periculo propriæ, vel audientium

Q ruinæ,